

sic a libro vitæ delentur, ut rursus in eo non mereantur ascribi, etsi ad tempus vel secundum causam justitiæ, vel secundum iudicium existimationis humanæ scripti visi sunt, nunquam tamen secundum præscientiam fuerunt. Quia ergo creatura rationalis in angelis et hominibus ad titulum cælestis patriæ et hæreditatis supernæ in libro vitæ per conditionem ascripta fuerat, sed per elationem qua se in utraque suo Conditori perverse comparare voluit, abjecta est et honore suo privata: jam tunc quidem a mente cordis sui superbos dispersit, quando eos, qui circa se tumuerunt, ab interna stabilitate projiciens, foris per desideria terrena fluctuare permisit. Dispersit superbos mente cordis sui: Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. Prius angelum de cælo et hominem de paradiso superbientem projecit; et postea hominem per pœnitentiam humiliatum ad pristinam gloriam reparavit. Sed et quotidie superbos quosque, subtrahendo gratiam suam, deponit, et humiliat, et postea eosdem humiliatos, gratiam priorem restaurans, exaltat. De quo etiam illud est quod sequitur:

Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes. Esurientes vocat eos, qui se vero bono indigere cognoscunt; divites intelligi vult eos, qui superbi sunt et elati, et se præ aliis in donis gratiarum abundare existimant. Ergo, sicut humiles, modica de se sentiendo, majorem gratiam merentur accipere, ita superbi et elati, de se præsumendo, etiam ea quæ acceperunt amittunt.

Suscepit Israel puerum suum. Suscepit sicut medicus ægrum, Israel puerum suum, populum videlicet suum: Israel puerum, id est humilem et innocentem suscepit, ut sanaret infirmum, ut redimeret captivum, ut justificaret impium, ut salvaret justum. Suscepit Israel, quem non invenit Israel, sed ut faceret Israel. Suscepit Israel puerum suum.

Recordatus misericordiæ suæ. Quæ olim promiserat, sed diu distulerat, tandem exhibebat.

Sicut locutus est patribus nostris, Abraham et semini ejus in sæcula. Misericors in promittendo, verax in exhibendo, quia sine debito promisit, et sine dolo exhibuit. Sicut locutus est patribus nostris, Abraham et semini ejus in sæcula.

QUÆSTIONES ET DECISIONES IN EPISTOLAS D. PAULI.

I.

IN EPISTOLAM AD ROMANOS.

Paulus nomen appellativum est apud Hebræos, et Græcos, et Latinos, non tamen eadem terminatione (*Rom.* 1). Apud Hebræos dicitur *mirabilis* vel *electus*; apud Græcos *quictus*; apud Latinos *modicus*. Quod nomen proprie impositum est Paulo in notam geminæ virtutis, vel triplicis, quas prædictæ interpretationes insinuant; vel Paulus dictus est Apostolus, a Paulo Sergio proconsule, quem convertit apud Cyprum; vel binominis erat.

QUÆSTIO I. Quæritur quomodo Paulus dicat servum, cum alibi dicat: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore* (*Rom.* viii). Et alibi: *Jam non est servus, sed filius* (*Galat.* iv). Et Dominus in Evangelio: *Jam non dicam vos servos, sed amicos* (*Joan.* xv). Nunquid Paulus non erat amicus? Solutio. Duo genera timoris duo faciunt genera servorum: scilicet servilis et filialis. Paulus itaque servus timore filiali erat, et non servili: quæ servitus non tollit libertatem, vel amicitiam, sed potius ponit.

QUÆSTIO II. Cur Paulus dicat Christum factum ex

semine David, cum nos confiteamur natum de Virgine? Solutio. Ut notaret Christum non more aliorum hominum conceptum, sed sola operatione Spiritus sancti de Virgine, absque virili semine: unde alii homines alios generare possunt, sed non facere.

QUÆSTIO III. Quomodo ipsa incarnatio facta sit? Solutio. Ipsum Dei Verbum dico carnem factum, id est hominem: non tamen mutatum, vel conversum in hominem vel carnem, sed carne (ut mortalibus appareret) indutum; sic enim illa unio facta est, quod nec divina natura mutata est in humanam, nec humana in divinam: nec nova natura, vel nova persona facta est ex duabus naturis, sed ineffabiliter unitæ duæ naturæ sunt in Christo: ut assumens totum quod habuit per naturam, conferret assumpto per gratiam, et totum, quod erat assumpti per naturam fieret assumptis per dignationem; unde totum dicitur Deus, totum homo, et vicissim homo Deus, et Deus homo, quod in substantiis hominis non contingit.

QUÆSTIO IV. Quomodo hic dicatur, totam Deus, et totum homo, cum illæ duæ naturæ non sunt partes illius personæ. Solutio. Propter similitudinem hoc dictum est, quia duæ naturæ sic sunt unitæ in Christo, ut partes in toto, sed differenter. Non enim sicut totum habet esse ex conjunctione partium, sic persona Christi ex unione humanitatis et divinitatis habet esse, nil enim novum habet esse utraque natura. Quod autem naturæ illæ non sint partes personæ, inde constat, quod altera illarum prædicatur de persona, ut cum dicitur: Christus est divina natura. Item nomina naturarum de se prædicantur, ut cum dicitur: Deus est homo et homo est Deus: quod non contingit in toto integrali et jus partibus.

QUÆSTIO V. Quomodo imago ad essentiam tantum referatur, cum relative tantum de Filio dicatur. Solutio. Imago essentiam quandoque significat divinam, et tunc communiter de tribus personis prædicatur: significat etiam relationem, et tunc de solo Filio dicitur.

QUÆSTIO VI. Quid non sit in substantia hominis, quod in substantiis Christi. Solutio. Quia nec caro est anima, nec anima est caro; nec homo est caro vel anima, sicut Deus est homo, et homo est Deus, et Christus est utrumque. Quod inde contingit, quia major est unio inter Deum et hominem quam inter carnem et animam. Non enim anima unita carni totum, quod habet per naturam, confert ei, cum ipsa non sit capax multorum quæ sunt animæ, sicut Deus unitus homini totum se infundit ei.

QUÆSTIO VII. Quid est quod dicatur, cum dicitur: Homo est Deus et Deus est homo, vel Christus est Deus, Christus est homo. Solutio. In responsione hujus quæstionis moderni doctores inter se dissentiunt. Alii enim dicunt quod idem de se prædicatur, scilicet: hæc persona Christus; quod mirum est, cum aliud Deus, aliud homo significet; et aliud filius hominis, aliud Filius Dei, ut auctoritas dicit. Quod etiam mihi videtur falsum esse, quia hoc nomen Deus idem significat, cum dicitur: homo est Deus, et: Christus est Deus, et: Pater est Deus. Si dicatur, non sequitur, quod idem Deus, homo et Christus, et Deus Pater sit. Item homo et Deus nomina appellativa sunt; quomodo ergo significant hanc personam proprie, vel quando, vel a quo facta est impositio talis? Item Christus est homo, et virgo [Verbum] est homo, nonne idem prædicatur de utroque? Si dicatur non: ergo non sunt ejusdem naturæ, cum nomen naturæ non sit utrique commune secundum eandem significationem. Alii dicunt quod cum dicitur: homo est Deus, non prædicatur hoc quod significatur hoc nomine Deus, sed esse unitum Deo personaliter; et cum dicitur: Deus est homo, prædicatur habere hominem unitum in personam. Sed secundum hoc nec homo vere est Deus, nec Deus vere est homo. Alii dicunt quod cum dicitur: homo est Deus, prædicatur persona divinæ naturæ de persona humanæ naturæ; et cum

A dicitur: Deus est homo, persona humanæ naturæ prædicatur de persona divinæ naturæ; eadem tamen est persona divinæ et humanæ naturæ, scilicet Christus; alius tamen intelligitur cum dicitur: homo, et cum dicitur: Deus. Hi concedunt plane quod Christus est duæ res, quarum una est simplex, et altera composita; una æterna, et altera temporalis; et quod Christus sit compositum quoddam secundum humanitatem ex carne et anima, et quiddam simplex fit secundum divinitatem, et quod divinitas non sit pars hujus personæ, sed sit ipsa persona, caro autem et anima tantum sint partes.

QUÆSTIO VIII. An Christus sit bis genitus. Responsio. Bis natus, et bis genitus est: semel ab æterno ex substantia Patris, iterum in tempore Virgine. Habet itaque duas nativitates, duas generationes, duas filiationes, æternam et temporalem, non tamen duo filii est, vel duo nati, sed unus et idem Filius Dei, et filius hominis, non tamen eadem filiatione.

QUÆSTIO IX. An persona sumpserit personam, an natura personam, an natura naturam. Solutio. Persona non est assumpta, ergo nec persona personam, nec natura personam assumpsit. Quod autem persona naturam assumpsit, omnes concedunt; an natura naturam, dubitatur a quibusdam: sed, procul dubio, natura divina assumpsit humanam, non in unitatem naturæ, sed personæ, id est sic facta est unio, quod assumens et assumptum essent una persona, non una natura, quod licet auctoritas manifeste sæpe hoc dicat, multi negant dicentes: si id quod est assumptum est persona, quomodo persona non est assumpta? Nos autem dicimus: licet assumpta sit persona, non tamen Deus assumpsit personam hominis, sed naturam, quia non est factus alterius personæ quam prius fuerat, sicut factus est alterius naturæ quam fuit, suam retinens; assumendo enim humanitatem, non amisit divinitatem. Ideo conceditur quod natura, non persona, est assumpta, non solum a persona, sed a natura. Illæ auctoritates, quæ dicunt Verbum, tantum incarnatum, alias personas tantum excludunt, non naturam divinam.

QUÆSTIO X. Quid sit prædestinatio? Responsio. Gratiae præparatio. Quandoque etiam dicitur prædestinatio ipsius gratiæ appositio.

QUÆSTIO XI. Item quæritur, de quo sit facta prædestinatio: an de persona, an de natura? Solutio. De persona, non secundum divinam naturam, sed secundum humanam. Potest etiam dici quod natura prædestinata est vel homo assumptus, ut ita sublimaretur, ut quo altius attolleretur, non haberet.

QUÆSTIO XII. An simpliciter debeat concedi Christum esse creaturam, vel factum. Solutio. Non concedendum sine determinatione tali, secundum carnem: ne videamur consentire hæreticis dicentibus, Christum esse factum secundum utramque naturam, et propter etiam implicitam negationem

hujus nominis, creatura : quia id dicitur creatura, quod cœpit esse et non semper fuit. Non enim sequitur, si secundum humanitatem Christus non semper fuit ; ergo non semper fuit ; sicut bene sequitur, si secundum Divinitatem semper fuit, ergo semper fuit.

QUÆSTIO XIII. An Christus secundum humanitatem sit Filius Dei ? vel Deus ? Quod sic volunt probare, secundum quod est homo, est prædestinatus, ut sit Filius Dei : sed illud est, quod ut sit, prædestinatus est secundum quod homo, ergo secundum quod homo est, Filius est Dei. Solutio. Non est verum si secundum hominem est prædestinatus, ut sit Filius Dei : ergo secundum hominem est Filius Dei, nisi secundum sit personæ expressivum. Si autem notat causam, vel conditionem, non est verum, ut in hoc apparet simili : iste secundum quantitatem peccati pœnitet ut sit salvus, ergo secundum quantitatem peccati fit salvus.

QUÆSTIO XIV. An secundum quod homo sit persona. Solutio. Dicunt quidam : Si, secundum significet causam, vel conditionem, secundum quod est homo, non est persona ; dicentes : Si secundum quod est homo, est persona, ergo tertia in Trinitate, vel alia ; sed non est alia, ergo tertia in Trinitate, et sic secundum quod est homo est Deus. Rursus, secundum quod est homo, non est personali proprietate discretus a Patre vel Spiritu sancto, sed sola filiatione, quam habuit ab æterno. Alii dicunt quod, in quantum est homo, est persona. Unde bene sequitur, si est homo, est persona, et illam consequentiam : si est persona, est persona tertia in Trinitate vel alia, dicunt falsam. Non enim totum positum ponit partem, sicut remotum removet, sed pars posita ponit totum. Pars autem remota nec ponit, nec removet totum. Quod autem id, quod est assumptum, sit persona, constat, cum Augustinus dicat quod id quod suscepit et quod est assumptum est una persona.

QUÆSTIO XV. An anima Christi sit Deus ? Solutio. Non est concedendum simpliciter, ne videamur consentire illis qui dicebant Verbum tantum carnem assumpsisse, et Verbum ipsum loco animæ carnem vegetare. Ideo etiam non dicitur anima, Deus quia magis redundat nomen animæ in naturam quam in personam.

QUÆSTIO XVI. An concedendum sit, Homo ille fuit ab æterno ? Solutio. Si per pronomen, ille, demonstratur persona, verum est hominem illum ab æterno fuisse ; si autem natura humana, non est verum, Homo ille fuit ab æterno.

QUÆSTIO XVII. An anima Christi sit persona ? dicunt quidam, quod non, dum est conjuncta carni : sed separata est persona. Alii dicunt, quod Christi anima est persona eadem cum Verbo.

QUÆSTIO XVIII. An sit universale quod significatur hoc nomine Christus ? Quod videtur : quia prædicatur de pluribus, cum dicitur, homo est Christus, et Deus est Christus. Solutio. Non oportet,

ut, ut ideo concedatur cum utrobique prædicatio non sit conformis, licet etiam sint duo, quæ prædicatur de pluribus secundum quosdam, non tamen est id quod prædicatur de pluribus. Item volunt probare, quod est id quod prædicatur de pluribus, quia persona, quæ dicitur de assumente, dicitur etiam de assumpto. Solutio. Persona est quasi nomen comprehensivum, duo enim, vel plura una sunt persona. Sunt tamen quidam qui concedunt quod significatum hujus nominis, Christus, est commune pluribus : et significat quantum hic terminus, persona divinæ et humanæ naturæ, non tamen Christus est universale, sed duo singularia secundum istos.

QUÆSTIO XIX. An homo assumptus sit Deus. Solutio. Multi dicunt quod non, quibus auctoritas plane contradicit. Dicit enim Apostolus quod in ipso habitat plenitudo divinitatis (Col. ii). Et Ambrosius ; Quidquid habet Filius Dei per naturam, et filius hominis per gratiam. Item Dominus de se loquens : *Data est mihi omnis potestas in cælo, etc.* (Matth. xxviii). Si habet omnipotentiam, est omnipotens ; si est omnipotens, est Deus. Item Joannes apostolus dicit de eo, quod *accepit spiritum non ad mensuram* (Joan. iii), secundum eos qui negant hominem assumptum esse Deum, datus est ei spiritus ad mensuram, cum non habeat quidquid Verbum, cui personaliter unitur.

QUÆSTIO XX. Utrum homo ille possit dimittere peccata cum sit omnipotens ? Solutio. Homo ille potest dimittere peccata, non quia homo, sed quia Deus, sicut potest mundum redigere in nihilum, si vellet.

QUÆSTIO XXI. An creatura æquatur Creatori, cum anima Christi, vel homo assumptus totum habet per gratiam quod Deus per naturam ? Solutio. Non est æqualis creatura Deo, quia aliud est esse sapientiam, aliud sapere per sapientiam, aliud habere aliquid per naturam : aliud per gratiam.

Item sic objicitur : Dictum est quod quidquid habet Verbum per naturam, habet homo per gratiam : sed Verbum habet æternitatem per naturam, ergo homo eandem per gratiam, et si hoc est, homo ipse est æternus. Solutio. Hic terminus, æternus, notat negationem. Illud enim proprie dicitur æternum, quod semper fuit, et non cœpit esse, unde quia æternum non simpliciter prædicat personam divinæ naturæ, sed etiam talem designat negationem, non est homo dicendus æternus. Vel potest sic dici, homo ille est æternus Deus, non est æternus homo.

QUÆSTIO XXII. An homo assumptus sit adoptivus filius, an filius naturalis. Volunt quidam probare quod filius adoptivus sic per solam gratiam prædestinatus est, ut sit Filius Dei, ergo filius est gratiæ, et sic adoptionis, ergo adoptivus. Solutio. Per solam gratiam esse Filius habet non gratiæ sed naturæ, id est non filius adoptivus,

sed filius naturalis est homo assumptus, non per naturam sed per gratiam, per quam habet quidquid possidet.

QUÆSTIO XXIII. Quomodo apostolus ostendat erga Romanos affectum, ut dicit expositor, agendo Deo gratias, cum pro omnibus bonis, quæ dat Deus tam bonis quam malis agendæ sint gratiæ Deo. Solutio. Non solum agit gratias respectu donorum, sed potius respectu Romanorum, scilicet, quia dona collata sunt eis. Cum autem aliquis agit gratias pro donis malis collatis, hoc facit tantum respectu donorum, non eorum, quibus conferuntur.

QUÆSTIO XXIV. Dicit expositor, quod Apostolus in Romanis non laudat fidem, sed facilitatem fidei, quæ videtur non esse laudanda, quia qui facile credit, facile decredit. Solutio. Duplex est facilitas; altera, quæ provenit ex levitate animi; et hæc indigna laude; altera, quæ provenit ex vigore animi, et multo intuitu rationis, et hæc laude digna.

QUÆSTIO XXV. Dominus prohibet in Evangelio jurare per cælum vel per terram (*Matth. v*): Apostolus non per creaturam, sed per Creatorem, quod plus est, jurat cum dicit: *Testis est mihi Deus (Rom. i)*. Unde videtur transgressor esse præcepti, et sic ad mortem peccare. Solutio. Prohibet Dominus, quod est malum, scilicet jurare falsum, vel verum sine necessitate; suavitatem loqui; indulsit juramentum cum sit necessarium, in quo tria debent esse: iudicium, quantum ad discretionis utilitatem; iustitia, quantum an sit faciendum: veritas, quantum ad cognitionem. Si unum horum defuerit, reatus perjurii incurritur.

QUÆSTIO XXVI. Quid sit jurare per Deum. Solutio. Sensus est: Sic mihi prosit Deus, vel non, vel sicut est veritas in Deo, sic in isto; quam si evacuat quantum in ipso est, veritatem Dei annihilat, illis Deum fidei iussorem constituens: si autem non est verum, Deum quodammodo incarcerat.

QUÆSTIO XXVII. Item quid sit per creaturam jurare? Solutio. Per Deum, qui fecit eam. Unde dicit Augustinus quod qui falsum jurat per lapidem, perjurus est.

QUÆSTIO XXVIII. Utrum juramentum sit bonum, an malum, an indifferens: si enim bonum est, non est prohibendum; si malum, nullo modo faciendum; si indifferens est, quomodo semper a malo? Solutio. Ipsum non est malum, sed tamen occasio mali; unde consulit ipsum Dominus vitare, ne ejus assiduitate perjurium incurramus.

QUÆSTIO XXIX. Quomodo Apostolus ostendat affectum suum erga Romanos dicendo; *Desidero videre vos ut aliquem fructum habeam in vobis (ibid.)*, cum magis videatur suam utilitatem, quam illorum attendere? Solutio. Non querit propriam utilitatem, quantum illorum, dum eos desiderat fructificare in bonis operibus, ut et ipse ex profectu eorum aliquid utilitatis consequatur.

A QUÆSTIO XXX. Si verum est, sicut multi sentiunt, quod non plus valet voluntas cum opere, quam voluntas sine opere, quomodo dicit Apostolus: *Desidero videre vos ut aliquem fructum habeam in vobis; cum plus meriti non haberet ex opere quam habuit ex sola voluntate?* Solutio. Nobis autem videtur majus bonum esse opus cum voluntate, quam solam voluntatem sine Opere. Sed dicunt illi: *Ideo desiderabat venire, ut cum opere cresceret voluntas, et majus fieret meritum. Quid dicent de passione Christi? Nunquid non amplius patiendo meruit, quam prius solo desiderio? Non enim possunt dicere ejus voluntatem in passione augmentatam esse, ut sic cresceret meritum.*

B QUÆSTIO XXXI. Quomodo dicat se Apostolus debitorem esse Græcis, et Barbaris: nonne gratis prædicavit illis? ergo non ex debito. Solutio. Non dicit, quod aliquid debeat illis ex merito illorum, sed ex injuncto officio debet evangelizare illis; et ex sola gratia quantum ad illos prædicavit, hoc igitur debitum non tollit gratiam, ut alibi dicit. *Necessitas mihi incumbit evangelizare (Cor. ix.)* Quæ necessitas non tollit voluntatem, sicut istud debitum non aufert gratiam.

Item videtur, quod in eis erat, unde hoc eis debuit; ex lege naturæ, quæ debuit illis, quod vellet sibi fieri. Solutio. Concedimus, naturali lege tenebatur, ut illos luce veritatis illuminaret, non tamen simpliciter concedendum est, quod hoc eis deberet.

C QUÆSTIO XXXII. Item quando dicitur: *Justus ex fide vivit (Hebr. x)*, queritur cur efficacia justitiæ fidei, et non charitati attribuitur; cum fides sit alicubi ubi nulla justitia; charitas nusquam sine justitia. Ad hoc respondent aliqui dicentes. Charitas et justitia idem sunt, et ideo neutrum causa alterius. Vel aliter: licet charitas causa sit justitiæ, tamen convenienter fides, quæ est charitatis causa, dicitur esse causa justitiæ, quia quidquid est causa causæ, causa est et effectus. Et est sciendum, quod aliud est credere Deum esse, quæ est fides cognitionis; aliud est credere Deo, quæ dicitur fides consensus; aliud credere in Deo, quæ dicitur fides fiduciæ; aliud credere in Deum, quod est per fidem, et dilectionem in Deum tendere. Item aliud est, quod creditur; aliud, quo creditur: utrumque nomine fidei sæpe designatur. Item illud, quo creditur quandoque charitate informatur, et tunc tantum secundum quosdam dicitur virtus; quando autem sine charitate est, informis est qualitas; nec est virtus, nec justificat. Aliis videtur, quod ubicunque est fides, etiam cognitionis, quantum in se est semper justificat: ejus tamen effectus quandoque ex abundantia mali impeditur. Fides est virtus, qua creduntur quæ non videntur: vel certitudo rerum invisibilium ad religionem pertinentium supra opinionem, et intra scientiam. Charitas justificat, et fides, et gratia, et Deus; ergo quatuor ju-

stificant. Solutio. Non ideo verum est, quod quatuor A quia hoc esset seorsum : in fide enim et per fidem charitas justificat, et in charitate, gratia, et per gratiam Deus.

QUÆSTIO XXXIII. Quomodo pluraliter dicat, invisibilia Dei, cum Deus sit simplex, et unus, nec aliquid sit in Deo, quod non sit Deus, nec aliquid dicatur hic invisibile Dei, quod non sit Deus? Solutio. Quod unum est et simplex in natura, non ut unum et simplex venit in nostram notitiam, sed ut multa : et hoc raro deprehenditur, cur scilicet ita veniat, quia oculus interior nondum valet ad illam simplicitatem, et ineffabilem unitatem attingere, quæ est Deus, ut eum, sicut est, intelligat. Unde cum intelligit Deum bonum, sapientem, omnipotentem, et huiusmodi, quasi plura venit B in mentem, quod unum est in natura. Ex quo altior oritur quæstio: utrum ea quæ sicut plura a ratione hominis intelliguntur, in seipsis, sive in Deo aliqua discernantur differentia. Non substantialiter, vel personaliter inter se differunt : veluti rationes rerum æternæ, quæ in mente Dei fuerunt, constat quod aliquo modo differunt, quo tamen modo non est certum.

QUÆSTIO XXXIV. Item quia dicitur : Sempiterna quoque virtus ejus, et divinitas, potest quæri : Hæc duo, virtus Dei et divinitas, cum sint invisibilia, quomodo discernantur ab invisibilibus? Non enim congrue dici potest, animalia vivunt, et homines, et equi, cum homines et equi sint animalia. C Solutio. Nomina, quæ de Deo dicuntur, quædam significant quid non sit Deus, ut immortalis et immensus, æternus et infinitus. Quædam notant quid sit in Deo, ut sapiens, bonus : quædam insinuant sua prædicatione quid sit Deus, ut bonitas et sapientia. Ne quis ergo existimaret illa tantum a creatura Dei intellectu conspici : quæ indicant quid non sit Deus, ut immensus : subjunxit sempiterna quoque virtus, etc. Aliter secundum alios : per invisibilia intelligitur Pater : per virtutem Filius : per divinitatem Spiritus sanctus. Secundum hoc videtur quod philosophi summæ Trinitatis per ea, quæ facta sunt, habuerunt notitiam. Sed Augustinus super Exodum dicit, quod philosophi ad notitiam tertiæ personæ non pervenerunt, sed tantum περί του αγαθου id est Patre, et περί νοου, id est, de Filio philosophati sunt. Ad hoc dicunt quidam quod illam distinctionem, quam fides catholica confitetur summæ Trinitatis, non habuerunt, nec habere potuerunt, nisi per revelationem. Quatuor enim modis cognoscitur Deus, duobus modis interior, scilicet per naturalem rationem : quam notat Apostolus secundum quosdam, dicens : *Quod notum est Dei, manifestum est in illis (Rom. 1)*, et per divinam inspirationem, quam ibi notat Apostolus : *Deus enim illis manifestavit (ibid.)*. Duobus modis exterius per facturam quemadmodum insinuat Apostolus, dicens : *Invisibilia Dei (ibid.)*, et per Scripturam, qui modus satis patet. Voluit itaque Deus in quibusdam latere, ut fides haberet

meritum, et in quibusdam apparere, ut infidelitas non haberet excusationem. Nota, in magnitudine universitatis notatur divina potentia, in pulchritudine sapientia, in utilitate bonitas, unde constat, quod non solum in universis, sed in singulis relucet quædam imago et vestigium Trinitatis. Nihilominus caute inspiciendum est, quando similitudines inducuntur, vel ad identitatem essentiae demonstrandam, vel personalem distinctionem insinuandam, vel ut ostendatur quod incarnatio ad solum filium pertinet, quamvis ipsa sit opus Trinitatis.

QUÆSTIO XXXV. Cur Pater per invisibilia intelligatur potius, quam Filius, vel Spiritus sanctus, cum et ipsi sint invisibiles? Solutio. Quia Pater nusquam legitur specie visibili apparuisse, sicut Filius in homine assumpto, et Spiritus sanctus in specie columbæ, et in linguis igneis.

QUÆSTIO XXXVI. Cur Filius per virtutem? Solutio. Quia ipse est virtus Patris operativa, per quam facta omnia sunt.

QUÆSTIO XXXVII. Cur Spiritus sanctus per divinitatem significatur? Solutio. Ut ostendatur communiter a Patre et Filio procedere, commune nomen obtinet quasi proprium. Vel per invisibilia intelligitur Spiritus sanctus, unde pluraliter dicitur invisibilia propter diversitatem donorum. Per virtutem Pater, ad cuius proprietatem solet referri potentia. Per divinitatem, seu Deitatem intelligitur Filius, sic enim diversi diversa sentiunt.

QUÆSTIO XXXVIII. Quæritur de eo quod dicit Apostolus de philosophis, quod essent inexcusabiles : *Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt (ibid.)*. Nam videntur excusationem habuisse : non enim tanta collata est eis gratia, ex qua Deum glorificare potuerunt. Nunquid enim Deum glorificare potuerunt sine charitate? Nunquid potest quis charitatem habere sine fide? Nunquid ex illo gradu cognitionis, quem habuerunt diligere potuerunt? Solutio. Ideo inexcusabiles fuerunt, quia non fecerunt quantum potuerunt.

QUÆSTIO XXXIX. Item quæritur, si fecissent quantum potuissent, an digni essent salute, si exissent ab hac vita in tali statu. Nam quis dignus salute sine fide, vel quis cum charitate perire potest? M. P. Abelardus ait, quod erant digni salute, id est ut daretur eis unde salvarentur ; quia si fecissent quantum possent, nunquam permetteret eos Deus transire sine fide. Alii dicunt quod ideo inexcusabiles, quia ex illo gradu cognitionis potuerunt diligere : et statim ex hoc statu fides daretur eis. Sed secundum hoc fides ex charitate, non charitas ex fide. Tertii vero sentiunt, quod nullo gradu cognitionis diligere potuerunt? si tamen fecissent quod possent, statim daretur eis fides, ex qua Deum diligenter, et sic glorificarent. Quibus objicitur : Nunquid fidem mereri potuerunt? Forsitan dicent : Quod, tametsi fidem non possent mereri, tamen ex eo, quod habebant, idonei et apti ad fidem suscipiendam potuerunt fieri. Sed quomodo sciunt, quod

ex hoc idonei fierent; vel si idonei, quomodo sciunt, quod fides daratur eis? Nonne Tyrii et Sidones idonei fuerunt? non tamen facta est prædicatio. Solutio. Nos autem credimus, quod Deum glorificare potuerunt ex parte, et si nondum perfecte, si enim Deo attribuerent quod acceperant, et ejus gloriam et non suam quærerent, Deum secundum aliquid glorificarent: in quo Deum diligenter, et si non perfecte possent.

Objicitur. Ex illa cognitione, quam habebant, poterant saltem ex parte Deum diligere: ergo ex charitate hoc poterant, quam habebant, vel quam non habebant; sed non ex ea, quam non habebant: ergo ex ea, quam habebant, et sic habebant dilectionem Dei, et sic digni salute. Solutio. Concedendum est quod Deum diligere poterant ex charitate, quam habebant; non tamen simpliciter dicendum est quod Dei habuerunt dilectionem: sicut iste infirmus et debilis portat lapidem ex fortitudine, quam habet; nec tamen dicendum est simpliciter hunc esse fortem, vel habere fortitudinem. Non enim concedimus quod illi, qui in mortali peccato sunt, nullum bonum opus possunt facere, ut quidam sentiunt, sed multa faciunt bona licet ad salutem insufficientia propter majus malum quod habent.

QUESTIO XL. An ratio naturalis aliquid possit per se sine adjutorio gratiæ? Solutio. Dicunt quidam quod ratio naturalis multa potest per se, ut apparet in philosophis, qui soli rationi innixi multa non solum in comprehensione veritatis circa creaturas, sed etiam circa Creatorem cognoverunt, scilicet quod Deus est, et unus est, et quod trinus est. Sed ad hanc cogitationem non videntur pervenisse sine gratiæ adjutorio. Unde Apostolus: Quod notum est Dei manifestum in illis est; statimque subjungit: Deus enim immanifestavit illis.

QUESTIO XLI. Quomodo ergo sine gratia se Deus manifestavit illis, nonne hoc gratia? Ad hoc respondent quidam sic: Deus dicitur manifestasse, quia tales fecit creaturas, ut ex illis posset ipse Creator cognosci. Unde subjungit: Invisibilia enim Dei, etc.

QUESTIO XLII. Item si ratio naturalis tantum valet, ut ad hunc gradum cognitionis sufficiat, quæritur in quo fuit efficacior ante peccatum quam modo: vel quomodo nunc infirmior quam tunc? Sicut enim tunc cognovit, quod Deus est, et unus est, et trinus; ita et nunc. Et sicut modo incarnationis mysterium non potest comprehendere sine adjutorio gratiæ, ita nec tunc quod mysterium absconditum est in Deo, qui fecit omnia, ut dicit Apostolus, quasi nil inservit creaturis, ex quo hoc cognosci posset. Solutio. Ratio ante peccatum facilius et perfectius comprehendit, quod modo cum magna difficultate, et minus perfecte, et a longe speculatur: multa etiam novisset tunc quæ modo non cognoscit. Objicitur iis qui dicunt quod ratio naturalis aliquid possit per se: Nonne oculus exterior nil videre potest sine illustratione lu-

cis supervenientis sibi, vel radii solis, vel alterius quia oculus interior nil potest per se sine illustratione lucis, quæ illuminat omnem hominem in hunc mundum venientem. Ratio ergo naturalis sine gratia quid potest, cum talis lux sit ex gratia? Ad quod respondent quidam sic: In prima creatione est exposita, et proposita interiori oculo illustratio summæ lucis: quo ad usque et ad quem finem per se ex tali expositione, et propositione sine aliqua gratia superviente pervenire valeret: quæ illustratio non fuit de substantia rationis, nec de ejus natura, sed de dono ejus gratuito. Tamen potest dici quod naturaliter videt; quia, cum natura data est aptitudo et idoneitas videndi exposita illa luce: de qua sermo præcessit. Itaque sine omnimoda gratia nil potest videre oculus mentis: potest tamen bene sine gratia superveniente alia ab illa, quæ collata est cum natura, quæ superveniens gratia maxime solet dici gratia.

QUESTIO XLIII. Tradidit illos Deus in desideria cordis sui, et in passiones ignominie, et in sensum reprobum. Ex his auctoritatibus, et multis aliis, ut est illud: Dedit illis spiritum compunctionis, ut videntes non videant, et audientes non audiant. (Rom. xi). Et illud: Induratum est cor Pharaonis (Exod. vii). Et illud: Quem vult indurat, cujus vult miseretur (Rom. ix). Ex his et aliis quampluribus quædam mala videntur fieri Dei operatione. Augustinus etiam multa coacervat in unum ad hujusmodi rei probationem. Postmodum infert. Ex quibus manifestum est Deum operari in cordibus hominum, in bonis inclinando ad bona pro misericordia, vel in malis inclinando ad mala judicio suo quandoque occulto, quandoque manifesto, semper autem justo. Item: Nonne justum est, ut qui in sordibus est, sordescat adhuc? (Apoc. xii.) A quo est hoc justum? nonne a Deo, a quo omne justum? Itaque Deus videtur operari hoc. Item peccatum illud, quod est pœna præcedentis peccati a quo est? omne justum est a Deo, et illud peccatum est pœna justa. Itaque videtur originem habere a Deo Solutio. Ad hoc quidem respondent dicentes omne peccatum esse a Deo, non solum quod est pœna alterius, sed etiam quod est tantum culpa, concedentes furtum, latrocinium, adulterium esse a Deo, juxta illud prophetæ: Non est malum in civitate, quod non faciat Deus (Amos. iii). Quia etiam ratione tali conantur idem probare. Omnis essentia est a Deo, sed voluntas mala et actio mala peccatum sunt, et essentiam habent: unde colligitur quod peccatum sit a Deo secundum horum opinionem. Quibus sic objicitur. Facere peccatum quid est, nisi peccare? Quid est facere adulterium, nisi facere adulterari? facere furtum, nisi furari? Unde si conceditur, quod faciat peccatum, sequitur quod Deus peccet, furetur, adulteretur, occidat: quod non solum nefas est dicere, sed etiam cogitare. Illud quod objicitur de voluntate mala et actione non bona, quod aliquid sunt, et sic a Deo. Sic solvitur. Peccatorum aliud est secundum

se, aliud secundum aliud. Peccatum secundum se, est quædam inordinatio, ut privatio, justitiæ; et ipsa nihil est nisi absentia justitiæ, unde non est a Deo, cum nihil sit. Non enim Deus est auctor ejus, quod nihil est. Voluntas mala, et actio non bona peccatum est secundum aliud, scilicet secundum inordinationem, et hæc aliquid sunt, et peccata dicuntur non ex eo quod habent, sed ex eo quod non habent: ideo enim peccata sunt, quia non habent ordinem vel modum. Illud prophetæ, scilicet quod dicit: Non est malum in civitate, quod non faciat Deus, de malo adversitatis, num de malo perversitatis intelligitur. Vel forsitan nec etiam cogimur de malo adversitatis hoc intelligere, si diligentius inspexerimus hujus Scripturæ circumstantiam. Sic enim habetur in propheta: Non est malum in civitate, quod non notum faciat Dominus servis suis prophetis. Item obijciunt de potestate peccandi, quia a Deo est: et ipsa peccatum est, et sic peccatum est a Deo ut videtur. Solutio. Nihil est hoc, quia potestas peccandi nec peccatum est, nec sufficiens causa peccandi sine voluntate.

QUÆSTIO XLIV. Rursus sic quæritur. An omnis voluntas sit a Deo, cum nil sit, quod non habeat esse a Deo? Solutio. Non est concedendum, quod omnis voluntas sit a Deo, cum nil sit, quod non habeat esse a Deo: hoc enim esset tam bona quam mala. Idem de actione intelligitur. Cum enim dicitur actio mala vel voluntas, magis redundat locutio in qualitatem, quam in essentiam.

Quare etsi habeat id unde esse dicitur a Deo, cum tamen ejus qualitas non sit ex eo, non est dicendum malam actionem vel voluntatem esse ex Deo. Nota quod inordinatio dicitur esse qualitas malæ actionis, propter modum responsionis similem; vel qualitas large accipitur pro eo quod assignatur quale aliquid sit, vel quale non sit. Item hæc propositio: Essentia hujus actionis est a Deo, dupliciter intelligitur: vel quod ipsa sit a Deo, vel id, unde habet esse sit a Deo. Alii vero dicunt non omne peccatum esse, a Deo; sed secundum illud solum, quod est pœna alterius, fit operatione Dei; dicentes: Si ad solam permissionem referatur quod dicitur, Tradidit illos Deus in reprobum sensum, generaliter de omni posset hoc dici peccato quod Deus operatur illud; sed nunquam dicitur Deus tradere aliquem id aliquod peccatum, nisi illud, quod est pœna peccati. Item, si ad gratiæ subtractionem referatur, ex hoc patet quod Deus illud operetur, cum gratiam subtrahat. Item cum necessario illud sequatur ex gratiæ subtractione, quis est causa illius nisi subtractor? ut si domus haberet aliquod fulcimentum sine quo stare non posset, si quis fulcimentum auferret, quis fieret causa ruinæ, nisi ille qui sustulit fulcimentum? Vel si aliqui essent in navicula in mari, si quis eam submergeret, cum sine ea homines vivere non possent, quis est causa mortis nisi submersor? His itaque similitudinibus conantur asserere quod Deus operatur quædam peccata, si non

omnia. Sed non videtur esse simile inter domum, quæ nil potest mereri, et hominem, cujus culpa offertur id sine quo stare nequit. Sed similitudo convenientior esset ubi si domus casura esset, et si quis manum supponeret, et eam ne caderet sustineret, si post modum ratione exigente, manum retraheret, non quidem esset causa quare domus rueret, sed quare non prius cecidit causa fuit. Sicut si quis nudus esset, et alter ei vestes daret, et ille vestitus deinde offenderet cum cujus vestibus est indutus ita ut vestes rationabiliter tolleret, et sic nudus moreretur, quis causa mortis? nonne ipse qui nudus moritur? Et si quis, causa exigente, alicui doctrinam subtrahat, cui prius exhibuit, hoc facit non aliquid operando, sed potius non operando quod operabatur. Sic quoque dicimus quod Deus subtrahendo gratiam, culpa nostra exigente, nec ipse causa est quare subtrahatur gratia secundum nos: nec hoc fecit aliquid operando, sed non operando quod prius operabatur. Sic itaque nulla ratione concedendum est quod operatione Dei fiat peccatum, sive sit pœna peccati, sive non; hoc ergo, quod dicit Augustinus, Deum operari in cordibus hominum, vel inclinando ad bonum, vel ad malum, operari dicitur vel similitudine dictionis hujus verbi *subtrahere*, quod construitur cum accusativo, quasi significaret aliquid agere; vel, quod melius, est, *operari* accipitur pro operari, vel non operari, ut ibi: *Quod enim operor non intelligo* (Infra, c. 7). Aliter enim si sic non acciperetur, facere malum, et non facere bonum, non essent partes operari. Et illud: *Reddet unicuique secundum opera sua*, scilicet pro eis quæ fecit, et pro eis quæ non fecit, cum ea facere debuerit. Illud autem quod dicitur: *Qui in sordibus est, sordescat adhuc* (Apoc. 22, infra, c. 2), sic intelligitur: justitia non est ex qualitate sordidationis, sed ex iudicio Dei, quo illud fit. Unde, si dicatur justum, non justitia quæ in ipso est, sed in regula Dei, non quod ipsum sordescere sit a Deo, vel quod Deus faciat illud. Similiter de quolibet peccato quod est pœna peccati præcedentis. Quod enim talis pœna dicitur justa, hoc non est ex qualitate sui, sed iudicio Dei.

QUÆSTIO XLV. Utrum pœna ipsa, quæ etiam culpa est, sit a Deo. Quod videtur, quia omne justum est a Deo, et omnis pœna talis est justa. Itaque videtur quod talis pœna sit a Deo. Solutio. Non oportet hoc dicere: cum ex qualitate sui non habeat ut sit justa, sed ex lege Dei, ut jam dictum est: Scriptum enim est: *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viventium* (Sap. 1). Vel, etiamsi concedatur quod pœna sit a Deo, non tamen culpa, licet idem sit pœna et culpa. Non enim a Deo habet quod culpa est, et si aliquo modo habeat a Deo quod sit pœna. Cum enim pœna aliquid sit in se, propter tria dicitur esse a Deo, scilicet propter materiam ejus, quam Deus facit, ut materiam ignis: et propter naturam, scilicet quod res talis non potest esse in re tali quid patiatur: quæ natura est a Deo, et propter iudicium

Dei, quo talis pœna tali culpæ infligitur. Non tamen Deum esse causam illius pœnæ dicimus; hoc enim esset dicere quod Deus fecisset culpam illius pœnæ, quia non est causa corruptionis; quæ si non esset, non pateretur quidquam qui punitur. Itaque hujusmodi pœna, quæ aliquid est, propter tria dicitur a Deo esse. Propter materiam, et naturam et iudicium. Secundum vero duo, scilicet culpam et corruptionem, non est a Deo. Illa autem pœna quæ peccatum est, propter duo dici potest quod sit a Deo, scilicet propter iudicium Dei, et propter naturam, quæ est quod nemo potest sic peccare, quin ipso puniatur. Culpa vero et corruptio nullo modo est a Deo. Non est ergo dicendum quod operatione Dei vel impulsu aliquis in peccatum præcipitetur; nec in illud etiam quod est pœna; sed Scripturæ quæ videntur hoc sentire, vel ad permissionem, vel ad gratiæ subtractionem referendæ sunt. Quidam etiam referunt eas ad viæ apertionem, quia nequitia intus concepta nequit exire, nisi ei via aperiatur, ut Nabuchodonosor prius malitiam intus conceperat, et Deus exponendo ei gentem Judaicam, viam ei aperuit, et sic ille malitiam exercuit, quam prius intus clausam habuit. Alii vero referunt ad viæ clausionem, quia Deus omnes alias vias, ne exire liceat, clausit, ut non habeat aliam per quam exeat. Hinc dicitur aliquem præcipitare in peccatum, quia non claudit hanc viam per quam exit, sicut cæteras per quas non egreditur. Unde constat quod Deus non est causa quare per hanc prodeat, sed ipse qui exit; sed cur non per aliam egrediatur Deus causa est, et cur etiam potius per istam, quam per aliam, ex utroque est; cur deterius non peccet, Deus auctor est; cur vero tantum, et non minus, ex ipso est. Veluti, si quis esset in turre, volens seipsum per fenestram præcipitare, et aliquis alius omnes fenestras clauderet præter unam, et ille per illam præcipitaret se. Ecce quod non per aliam: ille, qui claudit cæteras, causa est, quod per istam, non ille, qui claudit; sed ipse, qui præcipitavit se. Quod autem potius per istam, quam per aliam, ex utroque est. Sunt etiam qui ad occasionem eas referunt, veluti Domino intrante Hierusalem tota civitas commota est, et malitia prius concepta, accepta occasione, excitata est ad invidiam; et sic ad persequendum. Itaque vel ad permissionem, vel ad subtractionem gratiæ, vel ad viæ apertionem, vel viæ non clausionem refertur, secundum quosdam quod dicitur: *Tradidit illos in desideria cordis, et in passiones ignominie, etc.* (Rom. 1.) Nos autem magis dicimus universo, quam ad unum aliquod singulorum, etsi non omnia ubique concurrant; semper tamen tria, scilicet permissio et gratiæ subtractio, et viæ non clausio concurrunt; viæ vero apertio, et occasio non in omnibus reperiuntur.

• QUÆSTIO XLVI. Quomodo dicatur Deus tradere eos in passiones ignominie, cum non solum ibi nil patiantur, sed etiam delectentur. Solutio. Propter effectum; quia enim pœna æterna sequitur,

A peccati hujusmodi passiones vocantur. Vel etiam in præsentia vita patiuntur. Non enim possunt sic peccare, quin patiantur, quin natura lædatur, corrumpatur, et aliquo bono privetur, et foedetur; et sic verum est jam eos in præsentia pati.

QUÆSTIO XLVII. Quæritur iterum quid mali inferat reprobis, tradi in reprobum sensum, cum non sint pœnituri. Qui enim excæcantur, ut ponant lucem in tenebras, et tenebras in lucem, videntur minus peccare per talem excæcationem, cum nihil faciunt contra conscientiam; unde quod majus est peccatum in se, minus est ei, a quo fit, cum minus fiat contra conscientiam. Itaque cum isti minus contra conscientiam peccent propter sensum reprobum, videtur eis prodesse sic excæcari. Solutio. Talis necessitas ignorantie non habet excusationem, quia provenit ex perversa voluntate.

QUÆSTIO XLVIII. Quomodo Deus non peccet operando in cordibus eorum, ut inclinentur ad malum. Solutio. Si prædicta ad memoriam revocentur, patet responsio: hoc enim faciendo non immitit malitiam.

QUÆSTIO XLIX. Quomodo defendi possit, quin Deus crudeliter agat damnando istum, qui omni sibi subtracta gratia relictus sibi non potest non peccare: si enim non vitat, quod vitare non potest, quæ culpa est illi? vel si ideo damnatur, videtur quod injuste agatur cum illo. Solutio. Ista impossibilitas est inexcusabilis, quæ ex culpa et vitio propriæ voluntatis processit; quia prius se præcipitavit, licet modo nolens peccet; Deus tamen ipsum juste pro peccatis damnat. *Justum est enim ut qui in sordibus est, sordescat adhuc* (Apoc. xxii).

QUÆSTIO L. Quomodo Deus non consentiat peccantibus, cum malum sciat, et prohibere possit, et expositor dicit Consentire est non corrigere cum possis. Solutio. Deus multis modis corrigit, et arguit peccantes, tum naturali ratione, tum lege scripta, tum per ministros suos, tum per propria, vel aliena flagella: unde nullo modo dicendus est consentire peccantibus.

QUÆSTIO LI. Utrum æqualiter peccent facientes et consentientes. Solutio. In hujusmodi, quæ variari possunt secundum diversas causas, generale iudicium dari non potest: secundum enim intentionem iudicandum est de talibus.

(Rom. 3) QUÆSTIO LII. *Secundum duritiam, est impenitens, etc.* Quæritur quid sit pœnitere. Solutio. Pœnitentia est compunctio mentis de præteritis, et propositum de futuro, vel dolor, quia fecit propositum quod amplius non est facturum. Quid est enim aliud pœnitere vere, quam commissa deflere, et amplius deflenda ex proposito non committere? Dicitur etiam pœnitentia satisfactio pro peccatis. Unde sacerdos dicitur pœnitentiam injungere. Item pœnitentia alia sera, alia infructuosa. Infructuosa, quæ non prodest: ut illa Judæ, et insensatorum dicentium. *Nos insensati etc.* (Sap. v.). Sera, quæ tarde fieri solet cum tempus non sit. Dicitur itaque: Vere

pœnitens est, qui corde conteritur, et ore confite-
tur, et condignam exhibet satisfactionem.

QUÆSTIO LIII. *Cum dicitur in die iræ, etc.* Quæritur de die iudicii, quare dies iræ dicatur potius quam misericordiæ; sicut enim mali audituri sunt: *Ite in ignem æternum*, ita boni audituri sunt: *Venite, benedicti Patris mei, etc.* (*Matth. xxv.*) Solutio. In eo quod dies iræ dicitur, consulitur nobis, ut diem illum semper timeamus, et timendo æternum incendium caveamus. Nota quod dies dicitur non pro tempore, sed pro manifestatione. Item notandum quod omnes ad iudicium venient tam boni quam mali. Bonorum, alii ut iudicent scilicet valde boni; alii ut iudicentur, ut minus boni. Item malorum, alii jam iudicati sunt, quorum damnatio jam certa est; alii adhuc iudicandi, quorum damnatio incerta est.

QUÆSTIO LIV. Quomodo intelligendum sit de sanctis quod iudicabunt malos. Ad quod quidam respondent quod hoc nihil aliud est, nisi quod excellentia gloriæ eorum apparebit quanta pœna sint digni qui eos sunt persecuti, vel non imitati. Vel ideo dicti iudices sunt, qui in ipso iudicio manifestabuntur eis rationes æternæ, secundum quas fiet iudicium, et singulorum merita, de quibus fiet iudicium. Juxta illud Danielis: *Sedit iudicium et aperti sunt libri* (*Dan. vii*), scilicet rationum et meritorum: illi ergo quorum pœna, vel gloria non adeo patet, iudicandi sunt in die iudicii.

QUÆSTIO LV. Quæritur iterum circa illud *secundum cor impœnitens* de peccato in Spiritum sanctum, quid sit, et quare dicatur irremissibile. An quia non potest dimitti; an ideo quia nunquam dimittetur, cum tamen possit; an quia vix, et raro, et difficile dimittatur. Solutio. Dicunt quidam quod peccatum in Spiritum sanctum est ex invidia divinæ derogare bonitati: cuius peccati tanta est labes, quod qui sic peccant nunquam possint pœnitentiæ humilitatem subire. Alii dicunt quod desperatio vel impœnitentia dicitur peccatum in Spiritum sanctum. Alii quod facibus invidiæ seminare discordias inter fratres. Illis autem qui dicunt hoc peccatum posse dimitti, sic objicitur: Si hoc est possibile, quod talis culpa dimittatur, hoc proposito nullum sequitur impossibile; sed veritas dicit quod *hoc peccatum non dimittitur neque in hoc sæculo neque in futuro* (*Matth. xiv*); sed si dimitteretur, falsum esset ipsum non dimitti: quod est impossibile, quia Veritas mentiri non potest. De hoc peccato nullus certus est: hoc tamen scitur, quod si quis peccaverit, nunquam consequetur veniam.

QUÆSTIO LVI. Quomodo unicuique secundum opera sua reddat, cum hujus opera sint bona, et mala intentio, et illius mala opera, et bona intentio, cum ex affectu imponatur nomen operi, nunquid pro bonis operibus damnabitur, quia mala est intentio, vel pro malis salvabitur, quia bona est intentio? Solutio. Non sufficit intentio in omnibus ad hoc ut bona dicantur opera, sed semper exigitur ut bona

sint ei a quo fiunt: si enim bona sint opera in se, et mala intentio, punitur pro mala intentione, non pro bonis operibus; nec remunerabitur pro eis, quia inutilia ei facta sunt per malam intentionem. Ad hoc vero, ut mala sint ei opera, non exigitur mala intentio; potest enim bona et mala esse intentio, operibus malis existentibus: qualiscunque fuerit intentio ex quo mala sunt opera, nocet ei qui fecit ea: in his autem quæ sunt indifferentia, id est, quantum in se nec bona nec mala, iudicium debet referri secundum intentionem.

QUÆSTIO LVII. Quomodo secundum opera propria reddatur unicuique, cum iste bona per totam vitam operatur, et in fide cadit, et alter mala per totam vitam operatur, ei in fine surgit, per pœnitentiam; nonne qui bona operatus est damnabitur, et qui mala salvabitur? quomodo ergo secundum opera? Solutio. Opera cujuslibet dicuntur, cum quibus exit ab hac vita, quibus solis retribuet Deus; ea vero bona quæ egit qui in fine cecidit mortificantur, et fiunt non sua per superveniens malum. Ita illius qui male vixit, et in fine per pœnitentiam surrexit, per bona supervenientia mala quæ fecit fiunt non sua; vel etiam iudicium fit respectu operum, ut puniatur minus, quia bona fecit, vel minorem habebit gloriam, quia peccavit.

QUÆSTIO LVIII. Quæritur item quomodo secundum opera, cum iste habeat voluntatem male operandi, nec facultatem perficiendi; alter voluntatem bene operandi, nec facultatem implendi. Solutio. Opera eorum dicuntur ex quo sunt in eorum voluntatibus, nec in eis remanet quin fiant. Unde Dominus in Evangelio: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde suo* (*Matth. v*); nec tamen dicimus quod tantum puniatur modo quantum puniretur pro operibus ipsis impletis, sed sicut pro operibus, etsi non tantum pro sola voluntate puniretur.

QUÆSTIO LIX. Quæritur de puero non baptizato quomodo fiat ei retributio secundum opera sua, cum statim moriatur antequam aliquid agat. Solutio. Opera parentum ejus in ejus conceptione et nativitate ipsius fiunt, et pro eis damnabitur tanquam ea actualiter egerit. Item de puero baptizato dicimus quod pro gratia baptismatis salvatur sine propriis meritis.

QUÆSTIO LX. Quæritur de eo qui patitur pro Christo, et non operatur, quomodo ei secundum opus tribuatur? Solutio. Opera et pro passionibus et operibus accipiuntur, ut factum pro facto et non facto accipitur: cum fit quod non debet fieri, peccatum dicitur; quando vero non fit quod debet fieri, delictum est.

QUÆSTIO LXI. Cum culpa sit temporalis, et pœna æterna, quomodo reddet secundum opera? Solutio. Culpa malorum, quantum in ipsis est, æterna est, in voluntate enim eorum fuit semper in malo manere: unde justo Dei iudicio in æternum punientur. Vel etiam mala voluntas, et reatus culpæ, et impœnitentia cordis in ipso æterna erunt. Unde Dominus

dicturus est ad eos : *Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem* (Luc. 1). Non dicet qui operati estis, sed qui operamini. Non pœnitere enim peccatum est, et ipsi non possunt pœnitere. Itaque in æternum peccabunt, et sic pro culpa æterna erit pœna sempiterna.

QUÆSTIO LXII. Item cum boni plus quam meruerint sint accepturi, et mali minus quam possint secundum justitiam, puniantur, quomodo secundum opera? Solutio. Non est comparatio inter meritum et præmium, sed est sensus : qui plus meruit, plus accipiet, et qui minus, accipiet minus, secundum qualitatem et quantitatem : meritum enim unius et præmium modo est æquale et dissimile, modo est simile et inæquale cum merito et præmio alterius, ut duo martyres, vel duo confessores, qui ejusdem et æqualis meriti et præmii sunt, æquales et similes sunt in justitia et gloria; si autem unus martyr et unus confessor æquales sunt, dissimiles tamen sunt secundum qualitatem, quia iste martyr et ille confessor, etc.

QUÆSTIO LXIII. Quæritur circa id quod dicitur: *Tribulatio et angustia in omnem animam, etc.* (Rom. 11.) Nunquid in anima sola punietur homo, et non etiam in corpore? Quare ergo dicit, in omnem animam, et non in corpus, cum in utroque peccavit. Solutio. Quædam sunt peccata animæ, pro quibus ipsa punietur tantum, ut ira, invidia, infidelitas, de qua specialiter agit Apostolus in hoc loco: ideoque mentionem facit de pœna animæ, non pœna corporis. Sunt etiam quædam peccata corporis, pro quibus ipsum punietur, ut gula, luxuria, homicidia, contentiones, quæ corporis ministerio exercentur; unde constat quod in utroque punientur, juxta illud: *Duplici contritione contere eos* (Jerem. xvii).

QUÆSTIO LXIV. Quæritur de glorificatione corporis quid homini vel animæ conferat, cum sola beatitudo hominis sit visio Dei, cujus sola anima capax est, unde videtur nil conferre gloriæ, quæ erit in corpore. Solutio. Glorificatio corporis ad augmentum gloriæ et gaudii ipsi animæ erit. Nam valde gloriabitur, cum viderit corpus prius adeo infirmum et imbecille sic solidatum, ut nullam amplius læsionem sustinere valeat.

QUÆSTIO LXV. Quæritur cum animæ gloria sit Deum contemplari et ipsius visione frui, et in ipso omnia cognoscere: erit enim *Deus omnia in omnibus* (I Cor. xv) existens speculum omnis creaturæ, sicut omnis creatura modo speculum est Dei; cum hoc, inquam, sit, quomodo glorificatio corporis ei convenire dicetur, ut ejus augeatur beatitudo. Solutio. Hanc glorificationem jam in ipso Deo cognoscet, et contemplatio erit pars beatitudinis ejus.

QUÆSTIO LXVI. Cum dicit Apostolus: *Non est acceptor personarum Deus* (Act. x.) quæritur quid sit personas accipere. Nonne dicit Apostolus: *Cui honorem, honorem; cui timorem, timorem* (Rom. xiii.) Nonne majorem reverentiam debemus exhibere uni quam alteri? Solutio. Ille personas accipit, qui pro aliquo, quod hominis est hominem veneratur, et

aliis præfert, quod non facit Deus. Cum enim timorem vel honorem iis qui in dignitate sunt constituti exhibemus, non facimus hoc, nisi propter Deum, cujus gerunt personam, vel cujus sunt ministri.

QUÆSTIO LXVII. *Factores legis justificabuntur.* Quæritur an impletio legis justificet, quod sic videtur ex iis cum legisperitus quæreret a Domino: *Quid faciens vitam æternam possidebo?* Dominus respondit: *Quid scriptum est? quomodo legis?* Et ille: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua; et ex tota mente tua, et proximum sicut te ipsum, et Dominus ait illi: Hoc fac, et vives* (Luc. x.) Ecce mandatum legis observatum confert vitam æternam. Unde legitur quod justificat lex impleta (Rom. 11). Idem in alio loco, cum adolescens ait ad eum: *Quid faciens vitam æternam possidebo?* Et Dominus ad eum: *Honora patrem et matrem; non occides, non furtum facies, non mæchaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces uxorem proximi tui, nec rem.* Et ait adolescens: *Hæc omnia ab adolescentia mea custodivi.* Et Dominus intuitus est eum, et dilexit (Matth. xix; Exod. xx; Marc. x; Luc. xviii): quod non fecisset, nisi justus esset ex observatione mandatorum Dei. Quod autem subditur: *Si vis perfectus esse* (Matth. xix), etc., ad perfectionem pertinet justitiæ. Item Paulus: *Mandatum legis, quod erat ad vitam, inventum est mihi ad mortem* (Rom vii). Item Beda: Lex suo tempore custodita non solum bona temporalia, sed etiam æterna conferebat; unde manifestum est quod lex impleta justificat. Sed Apostolus asserit, quod lex neminem ad perfectum perduxit, dicens *ex operibus legis non justificatur omnis caro, et si ex lege justitia, tunc Christus gratis mortuus est* (Galat. 11): et multa alia in hunc modum. Ideoque quidam dicunt quod præcepta illa quorum impletio confert justitiam, sunt præcepta Evangelii, etsi in lege sunt scripta. Qui enim facit ea, homo evangelicus statim efficitur; nec est homo legis. Hi etiam dicunt, quod præcepta illa secundum quod in lege intelliguntur impleta, non justificant immediate, sed solummodo faciunt idoneum ad fidem Christi suscipiendam, per quam solam habetur salus: dicunt enim quod qui ostendit exterius se Deum diligere et proximum, etsi interius non diligit corde, quantum in lege est, legem custodit; ipsa manum quidem, et non animum reprimat. Cui solutioni sic objicitur: Si per observationem illorum præceptorum tantum exterius factam, fiant idonei et digni, ut fidem Christi recipiant, fides non ex gratia, sed ex meritis datur. Item si idonei, quomodo sciunt quod recipient; unde non videntur convenienter solvere quæstionem superiorem. Quæ est enim major perfectio quam diligere Deum toto corde, et proximum sicut semetipsum. Ideoque dicimus quod impletio prædictorum præceptorum justificat immediate, non tamen lux, quæ non sufficit, sed infirma est sine gratia, ad sui ipsius impletionem: nec dat gratiam, nec Christi fidem aperte demonstrat, sine qua præcepta legis

non implentur : demonstrat quidem patriam, sed non ostendit viam, qua eundum est, nec quo. Unde Apostolus : Ex operibus legis non justificatur omnis caro.

Sed dicet aliquis. Hæc auctoritas manifeste contradicit tuæ solutioni. Nonne contraria sunt, justitiam esse impletionem præceptorum legalium, ut superius asseruisti, et neminem operibus justificari ? Solutio. Opera legis vocat Apostolus, quæ fiunt solo timore, quem immittit lex, ex quibus non est justitia. Notandum est quod lex pluribus modis dicitur : quandoque enim lex vocatur liber Moysi, quandoque cæremoniæ et legales observantiæ, quandoque decem præcepta in duabus tabulis conscripta, quandoque liber psalmorum, quandoque etiam lex dicitur quæcunque observatio, ut cum dicitur : Hæc est lex hujus, vel illius rei. Naturalis etiam ratio lex vocatur. In Novo etiam Testamento pluribus modis accipitur lex ; unde lex fidei, lex spiritus, lex gratiæ, lex carnis, lex membrorum, lex peccati, lex mortis.

QUÆSTIO LXVIII. Quæritur de circumcisione, cui præcepta sit, et quare, et quare in partibus genitalibus et non in aliis, et quare maribus et non feminis, et quam efficaciam habuit, et quare ei baptismus successit. Est autem circumcisio amputatio illius pelliculæ quæ præest in virilibus ; unde et illa pellicula præputia appellatus ; ex quo gentes præputiatæ dicuntur, eo quod sint absque putatione, id est cæsiione. Præcepta autem primum est Abrahamæ ; unde ipse et tota ejus familia circumcisa est. Nec est facta hæc præparatio communiter omnibus vel generaliter, sed tantum Judæis. Unde dictum est : *Anima quæ circumcisa non fuerit, peribit de populo suo (Gen. xvii)*. Populus Dei populus Judæorum est. Præcepta autem hæc est ratio, voluit enim Deus populum suum ab aliis secerni, et eorum corda et a vitiis et a concupiscentiis circumcidi, et ut hoc in exterioribus ostenderet, præcepit eos in carne circumcidi ; et in partibus genitalibus potius quam in aliis. Nam cum duo sint, per quæ maxime consortium contrahitur inter aliquos, scilicet connubium et victus, in utroque voluit Deus populum secerni, unde victum prohibuit gentibus communem, videlicet carnem porcinam. Circumcidi quoque in genitalibus jussit, ne partes illas sanctificatas, cum immundis mulieribus commistione aliqua polluerent, et ut carnes tanquam portam nativitatis nostræ corruptas a vitiis reservarent. Et feminae gentiles videntes cunctos mares præcisos eorum matrimonia evitarent. Solis maribus ideo præcepta est, quod nullus, qui sine peccato esset, ex virili semine nasciturus erat ; ex femina vero erat.

QUÆSTIO LXIX. Quæritur item cujus fuerit efficaciam ? Et dicunt quidam, quod ejusdem fuit, cujus et nunc baptismus, nisi quod non mittebat ad regnum. Sed si hoc est, ergo in circumcisione erat peccatorum remissio ; ergo justitia, et sic ex lege, quod negat Apostolus. Solutio. Dicimus quod in circum-

cisione non erat omnium peccatorum remissio, sed tantum originalis ; sed in baptismo fit omnium remissio, et insuper fit virtutum collatio. Utrum autem hanc omnimodam efficaciam habuit baptisma ante passionem solet quæri. Et dicunt quidem quod non. Potest tamen dici, quod post Christi mortem illis, qui ante crucem purificati sunt, ipsius baptismatis sacramento tantum collatum est, quantum et illis, qui post baptizati sunt.

QUÆSTIO LXX. Deinde quæritur quare circumcisioni successit baptismus. Solutio. Propter tria : propter suavitatem, propter decorem, propter ipsius circumcisionis imperfectionem. Durum quippe erat circumcidi, et honestius aquis ablui quam cultro cædi : generalius etiam est baptismus non solum maribus, sed etiam feminis conveniens, et tam Judæis quam gentilibus.

QUÆSTIO LXXI. Quæritur quomodo dicat hic Apostolus *circumcidi prodesse*, cum in sequentibus dicat : *Si circumcidamini, Christus vobis nihil prodest (Galat. v.)* Solutio. Hoc dictum est secundum statum diversorum temporum. Tempore enim legis profuit ipsam observare ; tempore gratiæ non prodest secundum litteram, imo obest.

QUÆSTIO LXXII. Quæritur de quo statu dicetur : *Quid igitur est amplius, etc.* Solutio. De priori, in quo Judæi erant ante incarnationem Domini.

QUÆSTIO LXXIII. Item quæritur quid ad rem pertineat quod dicit, cum illi, quibus scribebat, non essent in illo, sed in statu fidei. Responsio. Ne nos, qui de gentibus credidimus, contra Judæos superbiremus.

QUÆSTIO LXXIV. Quæritur an homo assumptus sit mendax ? Videtur quod sic, quia est homo : et omnis homo mendax. Mendax enim dicitur quis, non quia mentiatur vel peccet, sed quia mutabilis est, *et nunquam in eodem statu permanet (Job. xiv)*, et per peccata potest diffluere. Quod totum etiam de homine assumpto quidam præsumunt asserere quod sic conantur affirmare. Si homo assumptus potuit a Verbo non assumi, potuit peccare ; sed potuit non assumi, ergo potuit peccare : quod videtur, si antecedens concedatur : sed omnes concedunt, quod potuit non assumi. Solutio. Non est concedendum quod homo ille potuit peccare : cum enim dicitur homo ille, per ille, notatur personalis proprietas, in qua impossibile est eum peccare ; sed in consequentia, cum dicitur, si homo ille potuit non assumi, potuit peccare, non intelligitur illa personalis proprietas, sed sine illius respectu natura humana datur intelligi. Item alia via volunt idem probare. Christus cum venit in Hierusalem, potuit ire in Galilæam, et si iret tunc in Galilæam, nunc non pateretur ; et si non pateretur, non impleret imperium Patris, cujus imperio passus est : sed potuit tunc non pati in Hierusalem, et inobediens esse, et sic peccare. Solutio. Potuit sic quidem non ire Hierusalem. Potuit ergo non implere præceptum Patris : hoc non sequitur si enim non pateretur tunc, quod

possibile erat ; unde ait : *Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam* (Joan. x) : si hoc, inquam, esset quod tunc non pateretur, non esset imperium Patris eum tunc pati ibi ; sed hæc duo simul esse impossibile est : quod Pater præcepisset eum tunc pati, et quod ipse tunc non pateretur : hæc est communis solutio.

QUESTIO LXXV. Quæritur de hac hypothetica: *Si iniquitas nostra justitiam Dei commendat, etc.* Utrum sit vera, et an consequens necessario ex antecedente consequatur, et qualiter intelligatur. Solutio. Iniquitas nostra commendat justitiam Dei: duobus modis intelligitur: vel quod, ex qualitate sui, Dei justitiam commendabilorem faciat, quod falsum est ; et secundum hanc intelligentiam vera esset consequentia: si hoc esset, iniquus Deus esset, qui puniret peccata. Potest etiam intelligi, quod ex comparatione nostræ injustitiæ commendabilior apparet justitia Dei, et hoc verum est ; sed secundum hanc intelligentiam non est vera consequentia, nec consequens sequitur ex antecedente: nunquam enim falsum sequitur ex vero.

QUESTIO LXXVI. Quæritur qualiter intelligendum sit *quid adhuc ego tanquam peccator judicor?* cujus vox est an conversi, an non conversi? Si conversus loquitur, non judicatur tanquam peccator ; si nondum conversus loquitur, Deus in illius mendacio nondum glorificatur. Solutio. Vox est conversi, et iterum lapsi.

QUESTIO LXXVII. Quæritur an Deus velit malum fieri, cum ipse malis nostris utatur ad bonum et ad gloriam suam, sicut abutimur bonis ejus ad contumeliam nostram. Solutio. Non vult malum fieri. Non enim est concedendum, quod velit malum fieri, vel velit non fieri: si enim vellet malum fieri, auctor esset mali, cum ipso volente aliquid fieri, non sit aliud quam ipso auctore. Item si vellet non fieri, et tamen fieret, aliquid ejus voluntati resisteret. Sunt tamen, qui dicunt quod Deus malum fieri velit, sed secundum hos voluntas dicitur pluribus modis scilicet pro permissione, pro beneplacito, pro præceptione et prohibitione. Vult mala fieri, id est, permittit, non quod sit auctor eorum.

QUESTIO LXXVIII. Utrum bonum sit malum esse? Solutio. Bonum dicitur pluribus modis ; bonum expediens, bonum qualitate sui, etc. Similiter malum multipliciter dicitur scilicet quod nocet, quod corrumpitur: pravus actus et prava voluntas, quæ est peccatum privatio omnis boni ; quælibet inordinatio peccatum dicitur. Cum ergo dicitur bonum est malum esse, diligenter videndum quid nomine boni vel mali intelligatur.

QUESTIO LXXIX. Cum dicit: *Causati sumus omnes esse sub peccato, etc.* Non videtur esse argumentum necessarium ad demonstrandum Judeos non præcellere gentiles; quia utrique fuerunt sub peccato etiam mortali; potuit enim evenire quod hi essent sub minore, et illi sub majore peccato; unde magis digni et idonei ad gratiam suscipiendam quam cæ-

teri videntur. Solutio. Si utrique fuerunt sub peccato, scilicet mortali, quod notat Apostolus, qui dicit sub peccato quasi depressi et servi: constat quod nec illi meruerunt gratiam, sed pœnam. Quare si gratia eis confertur, scilicet fides et cætera dona, hoc non est ex meritis eorum, sed ex sola bonitate Dei: ergo quantum in ipsis est, nec præcellunt. Non negamus tamen quin illi, qui sub majore peccato fuerunt, essent minus idonei ad gratiam percipiendam: cum quibus misericordius actum est quam cum aliis, qui sub minore peccato fuerunt. *Ubi autem abundavit delictum superabundavit et gratia* (Rom. v), etsi gratia horum non esset major quam illorum in semetipsa, tamen superabundavit gratia, secundum quantitatem hominum. Non est in hoc loco discutendum utrum Judæi majore peccato subjecti essent quam gentes.

QUESTIO LXXX. Non videtur esse verum, quod dicitur: *Non est intelligens aut requirens Deum.* Nam multi in populo illo Dei intelligentiam habuerunt, scilicet quod unus, quod Creator, et omnipotens: si enim ideo dicitur non intelligens, quia perfecte non intellexit, sic et homines gratiæ, quia nondum perfecte intelligunt nisi per fidem, non intelligentes dici possunt. Solutio. Non intelligens quis dici potest, qui etsi cognoscat Deum in majestate, non tamen cognoscit eum in humilitate et pietate. Vel non intelligens Deum perfecte quis dicitur, qui, etsi aliquam notitiam habeat, non tamen per charitatis experientiam; vel non intelligens Deum perfecte, scilicet quia ipse solus Creator omnium, insuper et auctor totius justitiæ est, quod Judæi non intelligunt: suam justitiam constituentes, justitiæ Dei non sunt subjecti; imo quodammodo se faciunt Deum, cum dicant se propria virtute sine gratia Dei justificari, se auctores justitiæ asserentes, quod Deus potest facere. Unde apostolus dicit, quod *in Evangelio revelatur justitia Dei non hominis* (Rom. iii). Et alibi: *Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est* (ibid.). Et si quandoque legatur justitia hominis, ut David sæpe dicit *justitia mea*: sic intelligatur oportet, quæ est hominis accipientis, et eadem Dei dantis est.

QUESTIO LXXXI. Quæritur de eo quod dicitur: *Quæcumque lex loquitur, iis, qui in lege sunt loquitur, etc.* Nunquid etsi ad Judæos loquitur, ideo omnia ad Judæos pertinent; quia ad Judæos dicta sunt. Solutio. Sic intelligendum est: Ita loquitur eis quod ea, quæ loquitur, ad eos pertinent. Quod iterum videtur esse falsum: multa enim dicuntur de gentibus in lege. Unde oportet intelligere quæcumque loquitur sine determinatione et distinctione, ex qua si certum, an ad gentes fiat sermo: ita quod de gentibus his, inquam, loquitur quæ sunt ex lege, ita quod ad eos pertinet quod dicitur. Cui sententiæ sic objicitur. Nonne David, et alii multi justii erant, et tamen erant in lege, et si hoc est, quomodo ad eos pertinet, quod dicitur, non est intelligens. Solutio. Esse in lege duo notat, scilicet quærere justii-

tiam ex lege, et ex toto ei inniti, ut illi, qui ex timore eam exterius observant, et secundum hoc David, cæteri justi non erant in lege. Non enim ex ipsa lege justificari quærebant, sed ex fide Christi adhuc futuri; et sic erant homines Evangelii, non legis. Dicuntur etiam esse in lege illi, quibus lex data est, et qui opera legis faciunt: et secundum hoc David, et illi consimiles in lege erant, quia eis data est lex, et eam custodiebant propter eos quibus lex erat necessaria, ne exemplo eorum legem contemnerent. Notandum est tria genera hominum esse scilicet homines legis naturalis, legis scriptæ et gratiæ. Homines legis naturalis dicuntur qui solum legem naturalem habent, nec aliquid superadditur. Homines legis scriptæ sunt illi, quibus lex scripta est data, nec habent aliquid superadditum. Homines gratiæ sunt quibus data est ipsa gratia. Vel aliter: Homines legis naturalis dicuntur, qui ex suis viribus quærent justificari: homines legis scriptæ dicuntur, qui legi innituntur, existimando quod lex justificet. Homines gratiæ dicuntur, qui non aliunde, nisi sola gratia quærent justitiam et salutem.

QUÆSTIO LXXXII. Cum dicitur: Quoniam ex operibus legis non justificatur omnis caro, quæritur de Moyse, et David, et aliis justis, qui fuerunt tempore legis, an sunt ex operibus legis justi: quod videtur, quia ex charitate ea fecerunt. Solutio. Sola fide futuri ita quod non ex operibus legis justi erant illi antiqui. Nota quod opera legis secundum quosdam dicuntur, quæ cum lege sunt instituta, et cum lege terminata scilicet ceremonialia, quæ non fuerunt instituta ad justificationem, sed ad futurorum significationem; secundum autem alios opera legis dicuntur, quæ fiunt solo timore, et non amore: de quibus constat quod non justificant: unde dicitur lex manum cohibere, et non animum.

QUÆSTIO LXXXIII. Quare opera legis cum charitate facta non justificant sicut opera Evangelii, nonne moralia præcepta impleta justificant? Ex his videtur quod opera legis justificant. Solutio. Non quidquid præcepto legis tenemur facere, dicitur opus legis; sed illud quod cum lege est institutum, et cum lege terminatum. Vel quod melius est: opera legis sunt, ad quorum impletionem sufficit lex, quæ fiunt solo timore temporalis pænæ, quæ neminem justificant.

QUÆSTIO LXXXIV. Quæritur quæ sit differentia inter opera legis et Evangelii; quia si opera Evangelii solo temporalis pænæ timore fiant, non justitiam alicui conferunt, sicut nec opera legis. Solutio. Ad opera legis non pertinent nisi exteriora tantum: unde lex manum prohibet. Ad opera Evangelii etiam interiora, ut affectus et motus interiores, in quibus consistit justitia.

QUÆSTIO LXXXV. Quæritur de eo quod dicitur: *Per legem cognitio peccati*, etc., cujus peccati cognitio facta sit per legem? Pluribus enim modis dicitur peccatum, quandoque culpa, quandoque pœna peccati. Unde dicitur Deus peccata nostra portare,

A id est, pœnam pro peccato: quandoque hostia pro peccato unde *Christus factus est pro nobis peccatum* (II Cor. v), id est hostia pro peccato. Dicitur etiam quandoque satisfactio pro peccato, vel pœnitentia pro peccato injuncta: quælibet etiam inordinatio cujuslibet rei dicitur peccatum. Unde dicitur citharædus peccasse, si semper oberrat eadem chorda. Item peccatum opus peccati, et reatus peccati dicitur: qui secundum quosdam alius est a culpa, secundum alios idem quod culpa. Quæritur igitur cujus peccati cognitio facta sit per legem? Solutio. Dicunt quidam quod illius, quod est in voluntate, peccati cognitio facta sit per legem, qui ante legem peccatum, quod est in opere, tantum credebatur esse peccatum et concupiscentia ignorabatur esse peccatum.

B QUÆSTIO LXXXVI. Quæritur iterum quare lex non justificet, cum ita peccatum manifestet. Quid enim aliud facit Evangelium nisi quod manifestat peccatum, docens, quid sequendum, quid vitandum: quod et lex facit? Item quod lex ad perfectum ducat volunt quidam probare verbis Domini, qui de præcepto legis respondit adolescenti: *Hoc fac et vives* (Luc. x). Item: *Diliges Dominum Deum tuum*, etc. (Matt. xix.) Hoc est præceptum legis sed hoc observatum justificat, ergo lex ad perfectum ducit. Item dicit Beda: Lex observata suo tempore, non solum conferebat temporalia, sed etiam æterna. Solutio. Ut omnibus hujusmodi questionibus fiat responsio dicimus, quod lex dicitur mandatum sine gratia, quod nunquam confert salutem; Evangelium autem mandatum dicitur cum gratia, quod justificat, et ad vitam perducit æternam.

C QUÆSTIO LXXXVII. *Nunc autem sine lege justitia est*, etc. Quæritur quomodo utrumque verum sit, justitiam Dei sine lege manifestari, et a lege et prophetis testificari? Solutio. Apostolus dicit justitiam Dei esse sine lege, non manifestari sine lege.

D QUÆSTIO LXXXVIII. Item cum dicitur: *Justitia Dei per fidem Jesu Christi*, quæritur de fidei hac virtute, utrum æque possit haberi a bonis et a malis? Solutio. In responsione hujus questionis moderni dissentire videntur. Alii enim dicunt quod hæc virtus fidei tantum a bonis habetur, et nullo modo a malis: ipsa enim est quæ per dilectionem operatur. Ideoque, inquit, ubi non est dilectio, nec fides. Aliis autem videtur, quod a bonis et a malis habetur æqualiter. Quid enim aliud est fidem habere, nisi credere ea quæ credenda sunt? Sed omnia quæ credit iste bonus, credit et iste malus, quomodo ergo non habet eandem fidem, maxime cum Augustinus dicat quod fides potest haberi sine charitate, et Apostolus: *Si, inquit, habuero omnem fidem, ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum* (I Cor. xxxi): quomodo hoc diceret, si fides sine charitate haberi non possit?

QUÆSTIO LXXXIX. *Justificati gratis per gratiam Christi*. Quomodo dicat *gratis per gratiam*? nonne sufficeret gratis vel per gratiam? Videtur quod alte-

rum superfluat. Solutio. Gratis dicit, id est sine A
omni merito nostro, per gratiam, id est per gra-
tuita dona sua. Sæpe etenim multa nobis confert
per gratiam quidem, non tamen sine omni merito
nostro : quod tamen non fit sine gratia ipsius.

QUÆSTIO XC. *Per redemptionem, quæ est in*
Christo Jesu, etc. Quæritur cur Deus per mortem
suam hominem redemerit, quem solo verbo libe-
rare potuit? Solutio. Quamvis alius modus esset
possibilis Deo, nullus tamen erat convenientior
nostræ miseriæ: quia et in eodem nobis contulit
remedium, et humilitatis et dilectionis præbuit
exemplum. Remedium in hoc consideratur, quia
diabolus misit manum in eum, qui immunis erat
a peccato; in quo quidquam quod suum erat non
invenit. Ideo merito eos, quos quodam jure tenere B
videbatur, amisit, credentes in eum, qui per mor-
tem suam omnibus obtemperantibus sibi factus
est causa salutis: non enim pro se, sed pro nobis
passus est nobis concedens merita sua, ut pro eis
nobis fieret, quod sibi fieret, si indigeret. Ad hu-
militatem autem provocavit nos in hoc, quod de
secreto sinu paternæ majestatis descendens sic se
exinanivit, ut formam servi acciperet (*Philipp. III*).
Ad charitatem in hoc nos invitavit: quia cum sit
Dominus gloriæ, talis et tantus, et taliter pro
impiis et peccatoribus mortuus est. Nota quod si
solo verbo hominem redimeret, nulla injuria dia-
boli fieret. Vel si Deus per angelum genus huma-
num reformaret, non ideo angelo salus hominis
ascribenda esset. Multa enim Deus per angelos ope- C
ratur, quæ tamen non angelis sunt, sed Deo tri-
buenda: ideo autem per se non per alium nos
redemit, quia nullius alius tanta possent esse
merita, ut sufficerent ad totius mundi redemptio-
nem.

QUÆSTIO XCI. Quæritur an Deus potuit facere
convenientiorem modum redemptionis? Si dicatur
quod non potuit videtur quod potentia Dei termi-
num habeat, et non sit immensa: si dicatur
quod potuit, quomodo iste convenientissimus est?
Solutio. Licet in hoc terminum habeat, non tamen
simpliciter concedendum quod terminum habeat.
Vel licet iste modus nostræ miseriæ sit convenien-
tissimus non tamen est necesse, quod sit conveni-
entissimus absolute.

QUÆSTIO XCII. Quæritur cui præteritum nostrum D
sit datum, an diabolo, an Deo? Solutio. Deo da-
tum, non diabolo est: quia nulla injuria facta est
diabolo, quia non erat nisi tanquam carcerarius,
nec etiam vellet illud recipere, ut hominem perde-
ret: nolenti autem dandum non erat, ne ei injuria
fieret.

QUÆSTIO XCIII. Quæritur a quo sit homo redem-
ptus? Solutio. A diabolo, a peccato, a tormento.
Insuper est reconciliatus Deo et hæc est gemina
efficacia sanguinis Christi.

QUÆSTIO XCIV. Quæritur in quo potestas diaboli
per mortem Christi diminuta est. Sicut enim ante
potestatem habuit tentandi bonos et malos: sic et
modo. Solutio. Non secundum essentiam, sed se-

PATROL. CLXXV.

condum efficaciam diminuta est: quia non potest
prævalere quantum ante, maxime quia vires re-
sistendi datæ sunt homini, et quanto homo et for-
tior ad resistendum, tanto hostis ad impugnan-
dum debilior.

QUÆSTIO XCV. Quæritur cum dicitur *ad osten-*
sionem justis, etc., de antiquis justis, qui in inferno
tenebantur, an peccata eis essent dimissa per
fidem et pœnitentiam: et si dimissa erant, quare
in inferno tenebantur: sine enim peccatorum re-
missione non erant justis. Solutio. Omnia dimissa
peccata erant eis per finem et dilectionem, sed
omnimodum effectum remissionis consecuti sunt.
Duplex est remissionis effectus, scilicet, carere
pœna, et frui gloria alterum tantum ante mortem
Christi habebant: quia pœnam actualem non sen-
tiebant, alterum nondum acceperant, quia non
videbant Deum. Item opponitur: Nonne justis
erant et sic digni gloria? quare ergo non dabatur
eis id quo erant digni? Solutio. Justitia eorum non
erat tanta, quæ sufficeret ad vitam obtinendam
sine morte Christi, nec etiam eorum peccata di-
missa simpliciter, nisi sub quadam expectatione
et sponsione futuri, qui pro eis satisfaceret. Unde
Apostolus dicit Christum mortuum non solum
propter remissionem præsentium, sed etiam præ-
cedentium delictorum; *quia ipse est agnus, qui*
occisus est ab origine mundi (Hebr. IX).

QUÆSTIO XCVI. Utrum Deus posset eos damna-
re æterna pœna, cum essent justis, et justos juste
punire non posset: quod enim injustum est, Deus
facere non potest: et si eos punire non potuit, in
quo eos sustinuit? Solutio. Necessarium erat ut pro
originali peccato satisfaceret, et cum ipsi satisfacere
non possent nisi alius pro eis satisfaceret, Deus
juste eos punire posset. Non tamen oportet con-
cedere quod justos puniret. Hoc enim esset post
mortem Christi: non enim simpliciter nisi in com-
paratione mortis Christi justis dicendi sunt: non
enim habebant tantam actualem justitiam ex qua
possent juste exigere vitam æternam, sicut nec
nos sine morte Christi: justos tamen eos vocat
Scriptura, quia tantum habebant quantum Deus
exigebat, quia quod eis deerat, Christus erat sup-
pleturus.

QUÆSTIO XCVII. Cum dicitur: *Per quam legem*
factorum? etc., quæritur cur lex Mosaica, lex
scripta dicatur, lex factorum, et non Evangelium:
sed lex Evangelii lex gratiæ, et lex justitiæ: sicut
enim illa habet opera, sic et ista. Solutio. Lex
Mosaica dicitur factorum, quia ea quæ facienda
sunt tantum jubet, et non confert gratiam, per
quam impleantur quæ jubentur: ideoque littera
occidens mandatum sine gratia appellatur. Evan-
gelium vero jubet quidem quæ facienda sunt:
sed insuper confert gratiam, per quam quæ jussa
sunt impleantur. Vel ideo: lex scripta lex facto-
rum appellatur, quia homines legis totam jus-
titiam suam in operibus legis constituebant: lex
autem fidei vel gratiæ sic dicitur, quia homines
gratiæ totam summam et efficaciam salutis suæ

in sola gratia constituunt: scientes, quod sicut A nemo salvatur ex justitia operum: sic nemo justificatur ex operibus justitiæ. Non enim ex bonis operibus justitia, sed ex justitia bona opera.

QUÆSTIO XCVIII. *Nonne et gentium, etc.* Probat Apostolus quod Deus est gentium quia earum est creator. Sed sic videtur, quod sit Deus lapidum. Solutio. Est quidem Deus creator lapidum, sed aliter est creator gentium, quas creavit ad imaginem et similitudinem suam: unde merito gentium dicitur, tanquam ab eis vere colendus.

QUÆSTIO XCIX. Utrum opera, quæ præcedunt fidem, sint penitus inutilia, an ad aliquid prosint; videtur enim quod nil prosint, quia tota vita infidelium est peccatum. Solutio. Bona opera, quæ fiunt ante fidem, etsi non prosint ad vitam promerendam, valent tamen ad suscipiendam, ut quibusdam videtur, ut apparet in Cornelio.

QUÆSTIO C. *Legem ergo destruimus per fidem? Absit: sed legem statuimus.* Quæritur quomodo hoc sit verum cum alibi dicat: *Si ea quæ destruxi, iterum reedifico, prævaricatorem me constituo: et legi per legem mortuus sum* (Galat. II). Ibi dicit se legem destruxisse: hic dicit quod eam non destruit, sed statuit. Solutio. Destruere legem duobus modis accipitur. Unde hic Apostolus dicit, quod legem non destruit, id est non ostendit legem inutilem esse in suo tempore, et nil valere, nec spiritualiter implendam esse. Alibi dixit, quod eam destruxit, id est post veritatis impletionem debere cessare secundum carnalia prædicavit.

QUÆSTIO CI. *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam* (Rom. IV). Quæritur cur dicat *reputatum est*, quasi non esset vera justitia quam habuit per fidem, sed aliquid quod reputatum est ad justitiam: si enim deberes mihi equum, non convenienter dicerem: Da mihi equum, et reputabo illum pro equo; sed congrue dicere valerem: Da mihi asinum, et reputabo eum pro equo. Solutio. Si homo non peccasset, habere omnimodam justitiam, quæ consistit in omnimoda præceptorum Dei impletionem, ut nil omnino concupisceret contra rationem, et ut Deum ex toto corde diligeret, sed post peccatum, et propter peccatum homo non potuit hanc perfectam justitiam habere, cui merito debetur æterna beatitudo: sed Deus per gratiam suam dat homini fidem, quam item per eandem gratiam reputat pro illa perfectione: hæc si justitiæ perfectionem haberet.

QUÆSTIO CII. *Ei autem qui operatur, merces non imputatur, etc.* Quæritur de quibus operibus hic agat: utrum de interioribus, an de exterioribus. Exteriora sunt ut vestire pauperes, et cætera hujusmodi, quæ multi non operantur, licet habeant tempus operandi, ut viri contemplativi unde videntur indigni salute, si de hujusmodi operibus hic fiat sermo. Opera interiora sunt, ut credere, amare, orare, quæ omnibus communia sunt fidelibus, quia sine his non est salus, de quibus si hic agitur, quomodo fides sine operibus reputatur

ad justitiam ei qui non habet tempus operandi? Solutio. De operibus exterioribus agit, quæ exiguntur ab iis, qui habent facultatem ea faciendi, et illis qui non habent facultatem ea faciendi, voluntas reputatur pro facto.

QUÆSTIO CIII. *Secundum propositum gratiæ Dei, etc.* Hic solet Dei quæri de gratia, et merito. Videtur enim sic totum ex gratia, quod meritum nil conferat; vel si aliquid ex merito, quod non totum ex gratia. Quod autem totum sit ex gratia. Scripturæ testantur. Unde Apostolus: *Quid habes quod non accepisti? (I Cor. IV). Gratia Dei sum, id quod sum (I Cor. XV).* Et illud: *Gratiam pro gratia (Joan. I).* Quid ergo dicendum? Dicere, quod meritum nihil sit, error est Manichæorum, sicut asserere totum esse ex libero arbitrio, error est Pelagianorum. Solutio. Cum dicitur totum ex gratia esse, meritum non excluditur, cum meritum sit ex gratia. Ideoque videndum est quid gratia Dei operetur in nobis sine nobis, et quid operetur in nobis non sine nobis. Gratiam itaque preveniens quæ dicitur etiam operans, sanat liberum arbitrium, liberando illud a jugo peccati: et hoc facit in nobis sine nobis: deinde voluntas sanata non est otiosa, nec in vacuum Dei gratiam accipit, quod operatur non per se, sed cum gratia, imo gratia Dei cooperatur libero arbitrio: unde cooperans dicitur; et idem opus vel meritum dicitur: esse ex gratia et voluntate: non enim seorsum operatur sed simul. Unde licet totum sit ex gratia, non est consequens quod nihil sit ex merito, vel ex libero arbitrio, veluti si quis inveniret parvulum in luto jacentem et impotentem surgere, et erigeret eum, deinde manum ejus teneret, ut ambularet; ipsa ambulatio esset ex utroque, sicut ipsa erectio ejus tantum ab inventore et non ex parvulo, sic: ex gratia præveniente est tantum, quod bonum volumus, sicut ex gratia subsequente, non dico tantum, sed etiam ex libero arbitrio per gratiam sanato et deliberato, quod bonum operamur.

QUÆSTIO CIV. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates.* Quæritur de peccato originali quid sit, de quo doctores subobscurè disserunt. Alii enim dicunt, quod peccatum originale est reatus æternæ pœnæ, id est debitum et obnoxietas, qua addicti sumus pœnæ: sed secundum hoc originale peccatum non est culpa, sed pœna. Sed quod sit culpa, auctoritates testantur, quod concedere oportet. Alii autem dicunt quod originale peccatum sit fomes peccati: concupiscentia, vel concupiscibilitas: lex membrorum, lex carnis, languor naturæ tyrannus qui habitat in membris nostris: vitium innatum, quod parvulum facit habilem concupiscere: adultum concupiscentem: his, et aliis nominibus peccatum originale nuncupatur.

QUÆSTIO CV. Quare originale vocetur quæri solet. Solutio. Quia ex vitiosa nostræ originis conditione trahitur.

QUÆSTIO CVI. Item quæritur quare posteris imputetur? Responsio. Quia parentum concubitus non

fit sine libidine, nec filiorum conceptus sine peccato.

QUESTIO CVII. Quomodo in baptismo deleatur? Solutio. Ex toto secundum reatum mitigatur, et debilitatur secundum actum vel affectum. Alii vero dicunt, quod originale peccatum est privatio cujusdam originalis justitiæ, quam haberet homo, si non peccasset: ideoque quia privatur justitia, privatur et gloria, nec aliam pœnam sustinebunt, qui pro solo originali peccato punientur, nisi quod visione Dei semper carebunt. Item cum anima non sit ex traduce, sed sola caro, quæritur quomodo hoc peccatum per carnem trahatur: non enim ipsa sine anima potest habere culpam, quæ non est, nec esse potest nisi in rationali creatura: quod enim non est capax justitiæ, nec peccati.

QUESTIO CVIII. Quomodo ergo in propagatione proles a parentibus transit per carnem, quod non potest esse in sola carne sine anima? Solutio. Peccatum dicitur transire, quia ejus causa transit, quæ est pollutio et immunditia quædam, quam invenit anima in carne cum ei infunditur, et ex qua pollutur: unde cum sola anima concupiscat, non tamen anima dicitur concupiscere, quia anima ex carne concupiscit.

QUESTIO CIX. Utrum unquam anima sit talis, qualis a Deo est creata: si enim munda creata est a Deo, et ex quo fuit carni conjuncta et copulata fuit immunda, sequitur quod nunquam talis est, qualis a Deo creata est. Solutio. Potest concedi quod nunquam fuit omnino talis, qualis a Deo creata est, veluti si dedissem tibi pomum mundum, et tu exciperes manibus immundis: illud verum esset, nunquam te tale pomum habere quale tibi dedi.

QUESTIO CX. Quæri solet quare animæ mundæ a Deo creatæ reatus originalis peccati imputetur. Dicunt doctores hanc quætionem insolubilem esse; potest tamen dici, non esse injustum quod animæ non habenti justitiæ non detur gloria: hoc enim est reatui originalis peccati subjacere, quod est originali justitiæ privari. Quid ergo mirum si talis culpa tali puniatur pœna?

QUESTIO CXI. *Et signum accepit circumcisionis, et signaculum justitiæ, etc.* De circumcisione superius dictum est. Quæri autem hic potest utrum Abraham aliquid utilitatis consecutus sit ex circumcisione. Solutio. Dicunt doctores quod per eam tantum ostensus est esse justus, non effectus. Nunquid ergo in posteris majorem habuit efficaciam, quam in ipso Abraham? Quod videtur, cum ipsis sit data in remedium saltem originalis peccati; ipsi autem Abraham non est data nisi in ostensionem justitiæ.

QUESTIO CXII. Item quæritur utrum ex circumcisione dabatur remissio originalis peccati illis parvulis qui nullo alio tenebantur, quomodo per illam non justificabantur, et sic ex lege. Solutio hujus quætionis patet ex prædictis.

QUESTIO CXIII. Quæritur de parvulis, qui ante

octavum diem, quo fiebat circumcisio, obierunt, utrum damnabantur, an salvabantur. Solutio. Idem judicium est de illis non circumcisis, quod est de non baptizatis, scilicet quod damnantur solo originalis peccati reatu. Si autem quæretur de illis parvulis qui moriebantur statim ut nati fuerunt, ante circumcisionem, forsitan fide parentum subventum est illis.

QUESTIO CXIV. *Non enim per legem promissio, etc.* Quæritur quomodo dicat Apostolus: *Christo non est facta promissio per legem, sed per justitiæ fidei*; nonne in lege et per legem facta est promissio, scilicet in David ipsi Christo? Item: Quid est promissionem fieri Christo per justitiæ fidei? Solutio. Non sic dicit Apostolus, quod promissio non sit facta per legem, sed per justitiæ fidei; sed sic, quod promissio non est facta, ut esset hæres mundi per legem, sed per justitiæ fidei.

QUESTIO CXV. Item quæritur quomodo Abraham sit facta promissio per justitiæ fidei; nunquid merito fidei ipsius? sed si merito fidei ipsius Abraham facta est promissio, eodem merito et ipsius promissionis impletio, quomodo ergo sola gratia? Solutio. Non sic construi debet littera: Promissio facta est per justitiæ fidei; sed sic: Promissio facta est Abraham, ut esset hæres mundi per justitiæ fidei; per quam et ipse pater credentium factus est, et credentes filii Abraham, id est justus et hæredes efficiuntur. Expositor aliter dicit hic quam nos.

QUESTIO CXVI. Quia dicitur: *Lex iram Dei operatur*. Quæritur quomodo hoc sit intelligendum. Nonne lex bona, et ira mala? Quomodo quod bonum est operatur quod malum est. Nonne cujus effectus malus est, ipsum quoque malum? Quomodo ergo talis causa talem habet effectum. Solutio. Lex non immediate, et ex qualitate sui, et tanquam causa efficiens iram operatur, sed quasi per occasionem; quia si lex non esset data, ira non esset tanta, quæ aucta est per legis prævaricationem. Multa enim dicuntur aliqua efficere, non quia ea efficiant, sed quia sine eis non fierent; unde et Christus dictus est *positus*, non solum in resurrectionem per causam, sed etiam in ruinam (Luc. II) per occasionem. Et Apostolus dictus est, non solum *odor vitæ*, sed etiam *odor mortis* (II Cor. II). Juxta eandem rationem evigilare circa similia oportet.

QUESTIO CXVII. Quomodo probet Apostolus legem iram operari, dicens: *Ubi enim non est lex, nec prævaricatio*? Quia nec hoc videtur verum esse. Nonne ubi non est lex, potest esse legis naturalis, vel Evangelii prævaricatio? Quomodo ergo verum ubi non est lex, nec prævaricatio? Si autem sic exponatur, ubi non est lex, nec legis prævaricatio, eodem argumento probatur, quod ubi non est Evangelium, nec est Evangelii prævaricatio. Solutio. Nomine legis sæpe Apostolus designat mandatum sine gratia; nomine autem Evangelii semper intelligitur mandatum cum gratia: unde constat verum, ubi non est lex, id est mandatum

sine gratia, nec prævaricatio. Item ubi est mandatum cum gratia non est prævaricatio, sed mandati impletio.

QUÆSTIO CXVIII. Item cum dicitur : *Qui contra spem in spem credidit*. Quæritur de fide Abrahæ, quam hic laudat Apostolus : quæ reputatur illi ad justitiam : quæ vel cujus rei fuerit? Si enim diligenter verba Apostoli et Geneseos considerantur, videtur quod fides illa, qua credidit Deo prolem promitti sibi, reputata sit illi ad justitiam ; si autem hoc est, et aliqua fides præter fidem Christi, est fides justificans. Si autem dicatur, quod tunc habuit fidem Christi, quæritur an duæ fides justificent, vel quare potius justitia dicatur esse ex illa, quam ex ista? Solutio. Apostolus commendat fidem Abrahæ, qua credidit omnia quæ credenda erant : qua fide inter cætera credidit Deum esse veracem in promissione prolis.

QUÆSTIO CXIX. Quomodo generatio Isaac dicatur esse contra naturam? Quid est natura? Nonne vis quedam Creaturarum a Creatore insita, per quam similia ex similibus procreantur atque propagantur? Nonne ibi natura operata est? Nonne quedam contemperies fuit in operibus parentum in actu et ex commistione carnis? quomodo contra naturam? Solutio. Cum Auctor naturæ operatur in natura præter solitum cursum naturæ, id est non secundum causas inferiores, sed secundum superiores, tunc dicitur aliquid fieri contra naturam, sed magis proprie diceretur supra naturam.

QUÆSTIO XX. *Plenissime sciens quod quæcunque promisit Deus, potens est et facere*. Dicit expositor quod multo divinæ virtutis intuitu sciebat Deum omnipotentem esse, et Apostolus plenissime sciens, etc., quod videtur obesse fidei; quia fides non habet meritum, cui ratio humana præbet experimentum. Item si sciebat eum esse Deum, quid magnum, si credidit ipsum esse omnipotentem; vel si nescivit esse Deum, quomodo ei credidit? Solutio. Ille intuitus divinæ virtutis, quem Abraham habuit, non erat e ratione humana, sed de fidei constantia: per quem adeo certus fuit, ac si plenissime sciret, vel videret.

QUÆSTIO CXXI. Quod autem quæritur quid magnum fuerit, quod credidit Deum esse omnipotentem, cum illud non solum boni, sed etiam mali credant? Dicimus quod tunc illud credere magnum erat, quando pene universus orbis in cultura dæmonum errabat, nec adhuc fides unius Dei prædicata, vel Scripturis manifeste declarata fuerat sicut modo.

QUÆSTIO CXXII. *Non solum autem scriptum, etc.* Quæritur quomodo dicat Apostolus, hoc esse scriptum propter Abraham, quod fides reputata est ad justitiam? nunquid ex eo quod in Scripturis laudatur, vel a nobis imitatur, aliquam consequitur utilitatem? Solutio. Non hoc dicit Apostolus forsitan quod hoc ei prosit, sed sic intelligendum est: Non solum autem, etc., id est, hoc scriptum est non solum ut ostendatur unde ipse Abraham fuit

justus, sed ut demonstraretur nobis etiam in quo solo possumus justificari, scilicet in gratia fidei, et non alibi.

QUÆSTIO CXXIII. *Traditus est propter delicta nostra, etc.* Dicit auctoritas. Quæritur a quo traditus est? Et certum est quod a Deo Patre, a Juda et a Judæis, et a Pilato. Sed quæritur utrum illud quod factum est a Deo, et a Judæis fuerit bonum, an malum? Si dicatur bonum, ergo Judæi fecerunt bonum. Si autem dicatur malum, ergo Deus fecit malum. Item: Nonne Judæi tantum malum fecerunt, et Deus tantum bonum? quomodo ergo idem fecerunt Deus et Judæi? Solutio. Opus vel factum Judæorum æquivoce accipitur pro actu et pro passione, actus Judæorum malus tantum; passio Christi, quæ secuta est ex actu illorum, bona fuit. Ideo doctores quandoque Deum, et Judæos uniunt, et eodem facto vel opere, propter passionem Christi, quæ evenit tam ex Judæorum actione quam Dei, quandoque distinguunt propter actuum diversitatem. Si autem quæretur an Judæorum opus fuerit bonum, distingue sic: Actus illorum malus, passio quam intulerunt bona fuit.

QUÆSTIO CXXIV. Item quæritur cur Apostolus sic distinguat, dicens: *Christum traditum propter delicta nostra, et resurrexisse propter justificationem nostram*, cum utrumque et passio, et resurrectio et a peccatis liberet, et justificet? Solutio. Etsi utrumque illorum sit causa, non tamen figura.

QUÆSTIO CXXV. *Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus* (Rom. v), etc. Quomodo Apostolus gloriatur in tribulationibus quæ sunt amaræ, nec propter se expetendæ. Solutio. Non propter tribulationes ipsas, sed propter earum effectum gloriandum est in illis. Sed objicitur quod eadem ratione gloriandum sit in peccatis non propter se, sed propter bonum, quod sæpe, ut humilitatem efficiunt, unde Propheta: *Priusquam humiliarer, ego deliqui* (Psal. cxviii). Solutio. Tribulationes ex qualitate sui cooperantur interiori gratiæ ad patientiam consequendam, peccata vero non; sed Deus sua pietate de malis nostris facit aliquid bonum provenire.

QUÆSTIO CXXVI. Cum ait Apostolus: *Spes autem non confundit*. Quæritur de spe quid sit, et an habeatur sine charitate? Solutio. Spes est certa expectatio futurorum bonorum quæ in hoc differt a fide, quod fides est de præteritis, præsentibus et futuris, tam bonis quam malis; spes autem tantum de futuris et bonis. Videtur autem quod non habeatur sine charitate: sine enim bonis operibus et bona vita, quæ non est sine charitate, sperare futura bona non est spes, sed potius præsumptio, ut dicit Augustinus. Item videtur idem asserere Augustinus quod spes præcedat charitatem. Solutio. Alia est spes veniæ, alia spes est gloriæ; prima habetur etiam a malis, secunda forsitan non nisi a bonis.

QUÆSTIO CXXVII. *Charitas Dei diffusa est, etc.* Quæritur, an eadem sit charitas, qua nos Deus diligit, et qua nos Deum diligimus? Solutio. Sunt qui

dicunt quod eadem est, quibus obviat Augustinus A nunc locum exponens et dicens, quod hic agitur de charitate, qua nos diligimus Deum, veluti ibi, *Deus charitas est (I Joan. iv)*, agitur de charitate qua nos diligit Deus : quod non diceret, si eadem esset. Item alibi dicit : Charitatem voco motum mentis ad diligendum Deum propter se, et proximum propter Deum. Deus non est motus, ergo est charitas, quæ non est Deus. Item charitas potest augeri et minui, Deus autem non potest, ergo est charitas, quæ non est Deus. Est itaque firmiter tenendum quod nomen charitatis æquivoce dicitur de Deo, cum dicitur Deus charitas est, et de quadam virtute, cum dicitur, quædam virtus est charitas, vel charitas Dei diffusa est in cordibus nostris. Apostolus Paulus fere ubique hoc nomine designat virtutem, quæ Deus non est, sed ex Deo. Joannes eodem nomine significat ipsum Deum. Hoc autem quod Augustinus dicit quod charitas fraterna, qua diligimus invicem, est Deus. Concedimus, dicentes quod Deus charitas facit nos etiam diligere invicem, sed charitate mediante, sicut facit nos credere fide mediante ; a quo enim est fides ab eodem est charitas, ut dicit Augustinus. Sed obicitur : Deus charitus est in nobis, et etiam charitas, quæ est virtus ; ergo duæ charitates sunt in nobis, vel duabus charitatibus diligimus Deum. Solutio. Non ideo duæ sunt. Sicut sol nos illuminat et radius solis, ergo duo nos illuminant, non sequitur, quia hoc esset seorsum, et separatim : sol enim per radium, et Deus per charitatem vir-

QUÆSTIO CXXVIII. Item quæritur an semel habita charitas possit amitti ? Et dicunt quidam quod non potest, quia scriptum est : *Charitas nunquam excidit (I Cor. xiii)*. Solutio : Hoc dictum est de perfecta charitate, vel ideo dictum est, quod charitas nunquam excidit, quia habetur in præsentem et in futuro.

QUÆSTIO CXXIX. Charitas est fons ille de quo dictum est : Fons aquæ tuæ sit tibi proprius, et non communicet tibi alienus. Quæritur qui sunt alieni, nisi reprobis, et qui sunt audituri : *Ite, maledicti, in ignem æternum (Matth. xxv)*, etc. Sed multi de numero talium diligunt ad tempus, et sic alieni de fonte hoc communicant. Solutio. Alieni dicuntur secundum præscientiam, de quibus modo non loquitur, sed secundum præsentem injustitiam, omnes scilicet qui non diligunt modo, sive sint electi, sive non, et hi ut sic non communicant fonti dilectionis.

QUÆSTIO CXXX. Quomodo hoc sit verum, quod dicitur : *Christus mortuus est pro impiis*. Nonne pro illis tantum mortuus est Christus, quibus sua mors prodest ? sed non prodest nisi piis, ergo pro piis tantum mortuus est. Videtur itaque, quod non pro impiis mortuus sit. Solutio. Mortuus est pro impiis, id est pro dilectione eorum qui prius erant impii, et per fidem facti sunt pii, et ita verum est quod mors Christi facta pro impiis est, et quod non prodest nisi piis,

A . QUÆSTIO CXXXI. *Reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus*. Quæritur quomodo hoc verbum sit intelligendum. Nunquid ante mortem nobis tanquam peccatoribus erat iratus, juxta illud : *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem (Psal. v)* ; et per mortem Filii sit nobis placatus, et cepit tunc primum amare ? Sed si hoc est, quomodo elegit nos ante mundi constitutionem ? Nunquid non diligens elegit ; vel quomodo non placatus pro nobis tradidit Filium ? Solutio. Ira Dei dicitur non animi passio, sed vindicta justa, et cum talis ira finitur, quod factum est per mortem Christi, Deus dicitur nobis placari, et nos ei reconciliari ; nec tamen, quia reconciliavit amavit ; sed quia amavit, reconciliavit. De justitia illa, qua Christus vicit, superius dictum est, et de modo redemptionis. Nec oportet acta agere : tantum verba Augustini breviter ponantur, quibus eam plane exprimit. Ait itaque : Hæc est justitia, qua Christus vicit diabolum. Diabolum amator potentie, et desertor justitiæ, Christum, in quo nihil dignum morte invenit, occidit. Unde justum est ut illi quos tenebat liberi dimitterentur, credentes in illo, qui sine ullo merito malo occisus est. Noluit itaque contra amatorem potentie uti potentia, sed contra desertorem justitiæ voluit uti justitia, ut nos informaret qualiter contra eundem hostem nobis sit pugnandum ; videlicet non potentia, sed potius justitia, et sic victores erimus.

C . QUÆSTIO CXXXII. *Propterea sicut per unum, etc.* Quæritur quare potius dicat per unum virum quam per unam mulierem intrasse peccatum in mundum, cum peccati initium fuerit potius in muliere quam in viro ? Solutio. Consuetudinis tenuit ordinem, ut Augustinus dicit, quia posteritas non a muliere, sed a viro solet nominari. Vel ideo quia vir et mulier una caro sunt ; ideoque quidquid factum est ab illo vel illa, ad primum hominem dicitur pertinere. Vel aliter, si vir non peccasset, forsitan aliam sociam ei providisset Deus, de qua innocentes, et sibi conformes genuisset, vel merito ipsius peccata uxoris dimisisset ; sed quia peccavit, per ipsum non immerito peccatum intrasse in mundum dicitur.

D . QUÆSTIO CXXXIII. Item quæritur cur per hominem et non per diabolum dicatur intrasse peccatum, cum prius fuerit in illo, et per illum intraverit etiam in primum hominem, unde scriptum est : *Invidia diaboli mors intravit in mundum (Sap. ii)*. Solutio. Aliter per diabolum, aliter per hominem peccatum intravit. Sola enim imitatione, et non propagatione per diabolum. Non sola imitatione, sed etiam propagatione intravit per hominem. Sciendum est Pelagianos dixisse originale peccatum sola imitatione et non propagatione intrasse per Adam : quod si verum esset, non hominem, sed diabolum peccati auctorem dixisset : unde etiam dicebant, quod in baptismo originale peccatum parvulis non dimittitur, quia secundum, eos in nascentibus nullum contrahitur : sed fides catholica hoc non tenet, sed hoc prædicat, hoc Scripturæ

stantur, quod, sicut Christus, præter imitationis exemplum, illuminationem et justificationem intrinsecus occulte operatur, ex qua sola gratia parvulos regeneratos qui eum nequeunt imitari, suo inserit corpori; sic Adam, præter imitationis exemplum, tabe suæ concupiscentiæ corruptit omnes ex se per concupiscentiam nascituros.

QUÆSTIO CXXXIV. Quærit Julianus sic: Non peccat qui creat, non peccat qui generat, non peccat qui generatur: per quas ergo rimas inter tot præsidia innocentie figis originale peccatum ingressum. Cui Augustinus sic respondet: Apostolus dicit: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit (Rom. v)*, quid quærit apertius? quid quærit inculcatius? quid quærit planius? quid quærit rimam, ubi habet apertissimam januam?

QUÆSTIO CXXXV. Item quæritur utrum peccatum originale sit ex voluntate, an ex natura: si ex voluntate, mala est voluntas; si ex natura, mala est natura. Cui respondet Augustinus: Omne malum opus processit de mala voluntate tanquam de radice, ipsam autem malam voluntatem nullum malum præcessit, sed nata est prius in angelo, post in homine, quorum uterque bonum opus Dei erant, et sic in bono ortum est malum, quod non habuit causam efficientem, sed causam deficientem.

QUÆSTIO CXXXVI. Item quæritur utrum peccatum originale sit ex voluntate. Solutio. Est quidem ex voluntate primorum parentum, unde et ipsum potest dici voluntarium.

QUÆSTIO CXXXVII. *In quo omnes peccaverunt, etc.* Nondum eramus, quomodo ergo qui nondum eramus, potuimus peccare? Solutio. In ipso omnes peccavimus, id est in ipso factum est unde omnes peccaremus. Vel sic: Ab ipso causam peccati traximus; vel sic: Omnes rei sumus illius peccati, quod ipse commisit.

QUÆSTIO CXXXVIII. Quæritur etiam quomodo nos omnes in Adam unus homo fuimus? Solutio. Id est ex eo, qui unus homo erat, per propagationem descendimus.

QUÆSTIO CXXXIX. Quæritur iterum, quomodo ex illa parva massa, quæ fuit in Adam, tot et tanta descendere potuerunt, vel quomodo in tot partes tam parva particula dividi potuit, ut cujuslibet corpus inde materialiter constet. Quæ quæstio solet fieri de illis *septem panibus*, quibus tot millia hominum Dominus satiavit sine alicujus rei additione (*Matth. xv*). Solutio. Lege propagationis hoc factum fuit. Illa enim particula quæ fuit in lumbis Adæ, ex quo separata fuit in filii ejus generatione, in seipsa est aucta et multiplicata in perfectam hominis staturam: ex qua iterum separata est parva particula in secunda generatione, quæ in seipsa est iterum aucta et multiplicata: de qua iterum ita multiplicata est separata alia, et sic deinceps lege propagationis crevit in tantam multitudinem sine additamento extrinseco, vel ciborum mutatione in ipsam. Constat quia

A Deus potest de uno atomo facere quantumlibet pondus.

QUÆSTIO CXLI. Si itaque una atomus sic multiplicaretur in seipsa in aliquid magnum, in quo essent infinite atomi, quæritur an illa esset omnes istæ, vel una de numero aliarum, vel utrum ille sint illa una. Solutio. Non oportet concedere quod illa sit omnes istæ, sed quod sit multiplicata et aucta in istas; nec quod omnes istæ sint illa, sed ex illa, vel fuerunt in illa, sicut illud granum crevit in arborem, nec est arbor illud, sed ex illo, vel materialiter in illo. Diligenter notandæ sunt hujusmodi locutiones. Notandum plura esse genera mutationum; quandoque mutatur essentia in essentiam sine mutatione accidentium, ut in sacramento altaris: quandoque fit mutatio proprietatum sine mutatione essentiæ, ut cum de aqua factum est vinum; quandoque fit mutatio secundum solam quantitatem in majus, ut in septem panibus. Qualiter autem virga Moysi sit mutata in serpentem, an secundum solas proprietates tam substantiales quam accidentales, an secundum essentiam non est mihi certum.

QUÆSTIO CXLI. Scriptum est: *Deus mortem non fecit. Item: Mors et vita a Deo est (Sap. i)*, quod videtur esse contrarium: nil enim temporale est a Deo, quod ipse non fecerit; quomodo ergo mortem fecit, et non fecit? Solutio. Deus mortem non fecit, id est causam mortis videlicet peccatum; penam vero illam quæ mors dicitur secundum quosdam fecit Deus: et ipsa inter opera bona enumeratur, quia justa; et omne justum a Deo.

QUÆSTIO CXLI. *Sed non sicut delictum, ita et donum.* Quæritur quomodo dicat Apostolus, donum Christi abundare in plures, quam delictum Adæ: non enim plures salvati sunt per gratiam Christi, quam sint delicto Adæ damnati. Solutio. Ista super abundantia gratiæ non est attendenda in numero personarum; sed ipsis quibus prodest donum Christi, plus confert in bono, quam delictum Adæ obsit illis, quibus obest in malo; quia ex Adam non omnis damnatio, sed illa sola, qua puniuntur illi qui soli originali subjacent, præter quam puniuntur illi qui delicta propria addiderunt; gratia vero Christi non solum liberat a peccato originali, sed etiam a superadditis, promovens in justificationem, et tandem in vitam æternam.

QUÆSTIO CXLI. An actualia peccata sint ex peccato Adæ? Quod videtur quibusdam, quia ex fomite proni sumus ad peccandum. Solutio. Pronitas talis non est causa efficiens, etsi sit causa sine qua non fieret, ut quibusdam placet; sed nec exigitur, cum nec in diabolo, nec in primo homine ante lapsum fuerit, et tamen fuit in eis peccatum sine ipsa: non enim ipsa causa peccati, sed peccatum causa ipsius fuit.

QUÆSTIO CXLI. Quæritur an alia peccata actualia Adæ posteris imputentur? Solutio. Apostolus dicit in *unius delicto*, non ait *delictis, multi sunt constituti peccatores*: in quo innuit, quod non plura, sed unum solum imputatur.

QUÆSTIO CXLV. Quæritur an etiam peccatum A
Eviæ nobis imputetur? Solutio. Nota verba Aposto-
li dicentis in unius delicto, non ait duorum, vel si
imputatur propter rationes prædictas, dicit per
unum hominem peccatum intrasse in mundum,
vel in unius delicto.

QUÆSTIO CXLVI. Quæritur an actualia peccata
proximorum parentum posteris imputentur? Quod
videtur, quia Dominus ait: *Ego sum Dominus
Deus tuus zelotes: visitans iniquitatem patrum in
filios in tertiam et quartam generationem (Exod.
xx)*, etc. Solutio. Peccata parentum etiam proximo-
rum non imputantur filiis, nisi ipsi peccata pa-
trum per imitationem sua faciant; nec tunc pu-
niuntur, quia parentes, sed quia ipsi peccaverunt.
Juxta aliam Scripturam: *Filius non portabit ini-* B
quitate patris (Ezech. xviii), etc., repugnantiam
autem, quæ videtur inter has duas auctoritates,
doctores satis elucidant.

QUÆSTIO CXLVII. Si autem quæretur qua ratione
peccatum primorum parentum, et non proximo-
rum imputetur. Solutio. Quia illud nos spoliavit;
cætera peccata aliorum nos tanquam nudos et
spoliatos invenientia non potuerunt nobis aliquid
auferre: originale enim peccatum, ut jam dictum
est, tantum privat originali quadam justitia.

QUÆSTIO CXLVIII. Homo ex se et per se ante
peccatum peccare potuit; proficere vero ex se et
per se sine adjutorio gratiæ non potuit, ergo pro-
nior erat ad malum quam ad bonum; sed nondum C
erat, nisi talis qualem Deus eum fecerat: ergo
Deus fecit eum proniorem ad malum quam ad
bonum. Solutio. Ante casum homo non erat pro-
nus ad peccatum; nec Deus talem fecit hominem
ut esset pronus ad peccandum, sed talis pronitas
postea ex peccato infuit; nec etiam potestatem pec-
candi habuit ex Deo, sed ex sua nihilitate; non ex
bono, quod acceperat, sed ex ejus termino; non
quia tantum, sed quia non plus acceperat, sicut
jam superius dictum de eodem est.

QUÆSTIO CXLIX. *Sicut per unius inobedientiam,*
etc. Quæritur an homo prius de bono, quod habuit
ante lapsum sine additione aliorum, gratiæ potue-
rit obedire et præceptum sibi datum implere? Si
dicatur, quod potuit: ergo, ex eo quod tunc habuit
potuit proficere: quod negatur fere ab omnibus.
Item si concedatur, quod non potuit obedire sine
adjutorio gratiæ, quæ ergo ejus culpa fuit, si non
fecit quod non potuit facere sine gratia, et gratia
non est collata, nec ejus culpa fuit, quare non sit
collata. Solutio. Non peccavit, quia non fe-
cit quod facere non potuit; sed quia non fecit cum
posset.

QUÆSTIO CL. Item quæritur an Christus obediendo
Deo Patri aliquid meruit? Volunt quidam pro-
bare quod non meruerit aliquid, quia nec secun-
dum humanitatem, nec secundum divinitatem.
Deus, inquiunt, non potest aliquid ab aliquo ac-
cipere; vel aliquid, quod faciat, aliud non prius

debitum acquirere: ergo non potest aliquid mere-
ri. Similiter secundum quod est homo, est bonus
et diligit; sed non potest non esse bonus, vel non
diligere: ergo ex necessitate bonus est vel diligit,
quomodo ergo potest mereri? Solutio. Mereri ge-
minam habet significationem: dicitur enim quis
mereri cum per bonum opus efficitur dignus ali-
quo, quo prius non erat dignus, secundum quam si-
gnificationem videtur nobis, quod nec secundum
divinitatem, nec secundum humanitatem Christus
aliquid meruit, etiam in ipsa morte. Dicitur etiam
aliquis mereri cum aliquid bonum facit, quod sit
dignum remuneratione, secundum quod Deus
dicitur etiam mereri, cum nobis beneficia præstat
pro quibus tenemur eum in æternum laudare, et
Christus secundum humanitatem in sua passione
meruit nobis introitum æternæ vitæ. Prius quidem
nobis multa meruit; sed sola passio non solum
pretiosa, sed pretium mundi fuit.

QUÆSTIO CLI. *Lex subintravit, ut abundaret,*
etc. Quæritur an lex sit causa mali, quod videtur;
quia est causa abundantie delicti. Solutio. Ut
quandoque est causativum, sicut eo ad forum, ut
emam togam; quandoque operativum, ut posuit
hominem in paradiso, ut custodiret, etc.; quando-
que est consecutivum, ut exivit foras ut moreret-
ur; quandoque etiam notat occasionem, ut lex
subintravit, ut abundaret peccatum. Judæ enim
abundantiorem peccati occasionem acceperunt ex
lege, quæ fuit bona non causa mali; sed vitium
eorum hujus mali causa fuit, sicut si accipiam oc-
casione invidendi de scientia illius; quæ non
est causa doloris mei, sed vitium meum.

QUÆSTIO CLII. *Ubi abundavit delictum, super-*
abundavit et gratia. Nonne in Judæis superabun-
davit delictum, quia legis prævaricatio; nec tamen
superabundavit et gratia, quia excæcati sunt.
Quomodo ergo est verum, ubi abundavit dilec-
tum, superabundavit et gratia? Solutio. Non dicit:
Ubiunque abundavit dilectum, superabundavit
et gratia; sed ubi indefinite, quod est intelligen-
dum quantum ad eos, qui crediderunt, in quibus
priusquam crederent, abundavit delictum; quia
præter cætera peccata eis inerat legis prævaricatio:
sed gratia omnia dimisit; insuper fidem et charita-
tem contulit, non quantum ad eos, qui in peccatis
suis mortui sunt, in quibus abundavit delictum, et
non gratia.

QUÆSTIO CLIII. *Quid ergo dicemus: Manebimus*
in peccato, ut gratia abundet? (Rom. vi.) Circa
hæc quæritur, quid sit manere in peccato. Solutio.
De peccato non pænitere, vel quodam torpo-
re mentis perseverando in peccato gratiam ex-
spectare.

QUÆSTIO CLIV. *Quicumque baptizati estis in*
Christo, etc. Quæritur quæ peccata dimittantur in
baptismo? Solutio. Dicit Augustinus quod non so-
lum præterita vel præsentia, sed etiam futura.

QUÆSTIO CLV. Sed quæritur, quomodo futura

peccata, quæ nondum sunt, de quibus nullus pœnitent, nec pro eis adhuc tenetur, quia nec pro eis adhuc aliquis est reus, quomodo, inquam, dimittuntur? Solutio. Ideo dicuntur futura peccata in baptismo dimitti, quia per gratiam ibi datam caventur, vel ideo quia facilius postea ille qui hoc sacramentum percipit, consequitur veniam.

QUÆSTIO CLVI. An fide accedenti peccata dimittantur? Solutio. Augustinus dicit quod solvitur hesternus dies, et quidquid erat supra fratrum odium in ipsa hora baptizandi: sed redeunt statim quia non pœnitent.

QUÆSTIO CLVII. Quæritur quomodo verum sit quod dicit Augustinus? Nonne ex quo non pœnitent membrum est diaboli? quomodo ergo est membrum Christi? Et si hoc est, quomodo dimissa sunt ei peccata? non habet fidem, non habet spiritum Christi; ergo non est membrum Christi, nec ei dimissa sunt peccata. Solutio. Dicunt quidam quod verba Augustini prædicta sic sunt intelligenda. Solvitur hesternus, etc., id est baptismus talem habet efficaciam etiam in eo qui corde non contrito accedit, quod nisi in ipso fictio remaneret, omnium offensarum consequeretur veniam, et postea poterit consequi si de fictione sua voluerit pœnitere.

QUÆSTIO CLVIII. *Vetus homo noster crucifixus est*, etc. Quæritur, an idem sit homo vetus, et homo exterior, et homo novus, et homo interior? Solutio. Non idem, quia homo exterior dicitur quod habemus commune cum animalibus, homo interior quod commune possidemus cum angelis. Vetus autem homo pertinet ad utrumque; non enim solus homo exterior, sed etiam interior vetus est per culpam, de quo vetere in præsentis capitulo agendum.

QUÆSTIO CLIX. Quæritur itaque quid sit vetus homo? Dicunt quod fomes peccati sic vocatur; sed verius est quod pars vetustatis dicatur ipse fomes. Nobis autem videtur quod vetustas intelligitur secundum duo, scilicet culpam et pœnam. Pœna autem, alia est æterna, alia temporalis; culpa vero, alia originalis, alia actualis. Item culpa originalis consistit in ipso fomite, et ejus actu utriusque. Rursus culpa actualis, alia venialis, alia mortalis. Venialis vero in tribus consistit, scilicet consensu, actu et reatu utriusque. Similiter mortalis tribus modis eisdem intelligitur. Ecce undenarius numerus transgressionis, in quo attenditur vetus homo; binarius enim unus in pœna, ternarius unus in culpa originali, alter in culpa veniali, tertius in culpa mortali, et sic tres ternarii culparum cum binario pœnarum undenarium constituunt. Videndum est ergo secundum quid vetus homo sit crucifixus. Secundum pœnam æternam ex toto deletus est in iis, qui sunt Christi; secundum pœnam temporalem debilitatus est et mitigatus. Similiter secundum culpam mortalem nihilominus deletus est penitus; secundum autem venialem mitigatus; non plenarie adhuc ablatus, porro secundum rea-

tam originalem ex toto non imputatus; secundum actum vero et fomitem originalem sic crucifixus, ut non dominetur.

QUÆSTIO CLX. Quæritur an in Abraham fomes peccati fuerit crucifixus per mortem Christi? Dicunt quidam quod per fidem mortis Christi tunc futuræ in ipso etiam fuit debilitatus.

QUÆSTIO CLXI. Item quæritur an in ipso Apostolo sic fuerit debilitatus et crucifixus, ut motibus ejus nunquam consentiret. Quomodo enim motibus non consentit, quando venialia commisit. Item venialia quæ commisit, nonne erant voluntaria et sic voluita? quomodo ergo fomes peccati non traxit Apostolum ad peccati consensum. Solutio. Apostolus, licet voluntarius commiserit, non tam peccatum voluit. Non enim dicitur peccatum voluntarium, eo quod id aliquis voluerit; sed quia ex voluntate aliqua processit. Nec fomiti consentit. Nam consentire est ex deliberatione et industria quod motus suggererunt facere: quod etiam videtur esse mortale sic consentire.

QUÆSTIO CLXII. *Ut obedatis concupiscentiis*. Quæritur quid intersit inter obedire concupiscentiis, et inter exhibere membra peccato. Solutio. Obedire concupiscentiis est mente consentire carnalibus delectationibus. Exhibere membra peccato, ut sint arma iniquitatis, hoc est ipsam iniquitatem opere implere.

QUÆSTIO CLXIII. Unde quæritur cur post primum prohibeat secundum, prohibendo enim non obedire concupiscentiis, prohibet etiam exhibere membra peccato; qui enim non consentit, non operatur. Solutio. Ideo post consensum prohibet et opus, ut si quandoque contingat mente consentire, tamen talis consensus non procedat in actum, sed potius amputetur. Quidam vero per obedire concupiscentiis intelligunt, operationem; per exhibere membra peccato, consensum; et sic convenienter post operationis prohibitionem, sequitur consensus prohibitio.

QUÆSTIO CLXIV. *Peccatum non dominabitur vobis, quia non estis sub lege, sed sub gratia*. Nonne multis, qui sunt sub gratia, dominatur peccatum? Quomodo ergo verum est: Peccatum non dominabitur, etc. Solutio. Vobis, qui gratiæ estis obedientes, jam data est potestas, qua potestis resistere peccato ne regnet. Unde constat si quando resumat vires ut dominetur, hoc fit vitio nostro.

QUÆSTIO CLXV. *Humanum dico propter infirmitatem*. Quæritur, quid vocet Apostolus humanum, scilicet leve, et ad faciendum facile quod fit adultæ justitiæ et non perfectæ. Solutio. Ipse ostendit subjungens: Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibere membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. Quod est breviter et aperte dicere: Eo amore servite justitiæ, sicut prius sine coactione sola delectatione servivistis immunditiæ. Quod ideo dicitur humanum, quia plus debetur justitiæ quam

peccato : nullus enim unquam sic dilexit peccatum, ut pro eo non timeret mori. Sed cum simus proni ad malum, quod fit sine labore et omni difficultate, insuper cum magna suavitate et immoderata delectatione, ad bonum vero tardi et pigri, quod non fit nisi cum magno labore, et ingenti difficultate, et sæpe modica vel nulla delectatione ; quia iter virtutum arduum et durum, arctum et angustum.

QUÆSTIO CLXVI. Sed quæritur quomodo dicat Apostolus esse humanum tanto amore, tantaque delectatione servire justitiæ, quanto prius servivimus iniquitati, cum hoc videatur esse perfectum et consummatum ? Solutio. Est quidem verum quod quando videmus aliquem amore servire justitiæ, dicimus quod perfectus est, maxime in hoc tempore quando defecit sanctus : tamen quantum ad ipsam veritatem, imperfectus est, nisi etiam pro justitia non solum cætera, sed ipsam quoque mortem contemnat. Adultæ [adulterinæ] ergo justitiæ, et non perfectæ est amore facere præceptum cum proposito moriendi pro Christo, etsi nondum tantam habeat charitatem vel constantiam ex qua possit ipsam mortem sustinere, et iste gradus sufficit ad salutem, et exigitur ; quia sine eo nullus est dignus gloria. Perfectæ vero justitiæ et consummatæ est tantum virtutem habere, quæ sufficiat ad tolerandam mortem pro veritate et amore justitiæ. Primum gradum habuisse visus est Petrus quando dicebat : *Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo (Matth. xxvi)*. Nondum vero habuit secundum, quem consecutus est per adventum Spiritus sancti.

QUÆSTIO CLXVII. *Vivente viro mulier alligata est lege viri (Rom. vii)*, etc. Quæritur de David et cæteris justis, an lege vivente, id est statum habente, tenerentur legem servare, et an dicendi sunt adulteri, quia fuerunt cum alio, id est cum Christo, in quem credebant, et a quo justificari quærebant ? Solutio. Lex quidem justo posita non est, quæ est quasi pedagogus parvulorum ; tamen David cum cæteris justis tenebantur legem custodire propter illos, quibus lex erat necessaria ne eorum exemplo eam transgredirentur. Nec quia cum Christo erant per fidem et dilectionem, dicendi sunt adulteri : sed si sacramentis legalibus contemptis, jam sacramenta Novi Testamenti introducere præsumerent, tunc adulteri viderentur.

QUÆSTIO CLXVIII. *Cum enim essemus in carne passiones peccatorum*, etc. Quæritur quid vocet passiones, an primos motus, an aliquid aliud. Solutio. Potest dici, quod concupiscentias innatas, quæ sunt causa peccati, et in iis qui non sunt in Christo, etiam mortale peccatum. Vel primos motus, qui non imputantur renatis ; quos ideo vocat passiones, quia naturam lædunt, in aliquo bono privant.

QUÆSTIO CLXIX. *Quid dicemus? Lex peccatum est? Absit!* Quæritur an ipsa lex faciat peccare, vel doceat, et sic sit malum. Solutio. Non est

A mala, sed bona ; nec est causa peccati, etsi videatur occasio.

QUÆSTIO CLXX. *Nam concupiscentiam nesciebam*, etc. Quæritur de qua concupiscentia hoc dicat Apostolus. Et dicunt doctores, quod de qua prohibetur in Decalogo. De qua iterum quæritur quæ illa sit ? Nomine enim concupiscentiæ quandoque significatur vitium concupiscentiæ, scilicet fomes peccati ; quandoque primus motus, qui dicitur propassio ; quandoque secundus motus, qui dicitur passio, vel delectatio ; quandoque consensus ; quandoque exterior conatus ; quam ergo prohibet lex dicens : *Non concupisces (Ibid.)* Solutio. In responsione hujus quæstionis moderni doctores dissentiunt. Alii enim dicunt, quod primos motus prohibet lex ; alii vero dicunt quod consensus ; alii sic exponunt : Non concupisces, id est scito concupiscentiam malam, et quantum potes evita, et ita secundum hoc nihil prohibetur. Sed quidquid continetur in Decalogo, vel præceptum est, vel prohibitio : unde oportet, ut aliquid prohibeatur cum dicitur : Non concupisces. Illis, qui dicunt, quod consensus prohibeatur, sic obicitur, Apostolus dicit : *Facio quod nolo, si autem hoc est : consentio legi non faciendo, sed nolendo (ibid.)*

QUÆSTIO CLXXI. Quæritur ergo quid illud sit, quod lex prohibet, et Apostolus nolens faciebat ? sed isti dicunt quod consensus lex prohibet, sed constat quod Apostolus non consentiebat quia si consentiret concupiscentiæ, nullo modo legi consentiret, sed contra eam ageret. Augustinus autem ostendit aperte quid sit, quod Apostolus nolebat, et tamen faciebat. Motum scilicet concupiscentiæ sentiebat, sed tamen non consentiebat, imo non sentire volebat. Unde liquet quod primos motus concupiscentiæ lex prohibet.

QUÆSTIO CLXXII. Sed quæritur iterum cur Deus prohibuit quod nemo unquam vitare potuit ? Videtur enim lex non solum inutilis, sed etiam irrationalis, quod interdicit quod est impossibile vitare. Propter hanc rationem nolunt prædicti doctores, quod lex primos motus prohibeat. Quibus obicitur sic : Nonne lex præcepit diligere Deum ex toto corde ? Sed hoc præceptum, ut dicit Augustinus, nemo in præsentem potest adimplere : si ergo aliquid præcipitur, quod non valet hic a quoquam fieri, quid mirum si quid prohibetur quod non potest vitari ?

QUÆSTIO CLXXIII. Quæritur ergo quare Deus vel prohibuit quod non potest vitari, vel præcepit quod non valet adimpleri. Videtur enim crudelis, vel non æquus. Solutio. Ut superbum humiliaret, et cæcum illuminaret, et sic dignum ad gratiam suscipiendam præpararet. In hoc quod prohibuit quod nemo potest vitare, et præcepit quod nullus facere potest, ostendit quæ sit perfectio divinæ justitiæ, et quid juste Deus ab homine exigere possit. Insuper qualis homo fuerit ante peccatum, scilicet talis qui sine omni difficultate gratia adjuvante nihil concupisce-

ret, et Deum ex toto corde diligeret : et qualis per culpam effectus, scilicet infirmus, carnalis impotens non concupiscere; vel Deum perfecte diligere. Quid ergo restat nisi ut homo amplius de se non præsumens ad gratiam confugiat, et dicat : Domine, responde pro me, ego enim infirmus sum. Itaque non crudeliter, sed magna dispensatione præcepit Deus quod non potest fieri nisi a solo mediatore.

QUÆSTIO CLXXIV. Quæritur ubi lex sic prohibeat generaliter concupiscentiam, non enim invenitur, ubi lex faciat prohibitionem nisi de re vel uxore proximi. Solutio. In speciali intelligitur generale.

QUÆSTIO CLXXV. Quæritur unde contingat ut nitamur in vetitum, et id quod prohibetur amplius placeat, et dulcius fiat ex ipsa prohibitione? Solutio. Natura humana sic creata est, ut naturaliter appetat libertatem : quæ per prohibitionem videtur minui, et in servitutem redigi; unde quantum potest, statim facta prohibitione, resistit nitens contra.

QUÆSTIO CLXXVI. Quæritur in qua persona loquatur Apostolus dum dicit : *Ego autem carnalis sum* (Rom. vii), in propria an generali? Nam si in sua persona loquatur, quomodo dicit se esse carnalem, cum esset spiritualis? si autem in generali loquitur, ut omni justo et injusto cujuslibet temporis conveniat quod dicit, quomodo injusto convenit odire malum, et velle bonum, et legi Dei consentire? Solutio. Augustinus dicit quod in propria persona loquitur dicens, se carnalem propter motus quos sentiebat, et idem erat spiritualis, non consentiens illis motibus inordinatis. Non autem negari potest quin dicat quædam, quæ proprie personæ non conveniant, ut illud : *Vivebam aliquando sine lege* (ibid.). Sunt qui dicunt quod in generali persona justus loquitur; sed justo quomodo convenit : *Ego autem mortuus sum?* (Ibid.) Nos autem dicimus quod sic loquitur Apostolus, quod quædam conveniant homini legis naturalis, quædam homini legis scriptæ, quædam homini legis gratiæ; quid autem cui conveniat, diligenter notandum; nostri autem propositi est quæstiones prosequi, non litteram exponere.

QUÆSTIO CLXXVII. *Quod enim operor non intelligo*, etc. Quæritur quomodo dicit se non intelligere quod operatur, cum per legem peccatum cognoverit? Solutio. Non intelligo, ponitur pro non approbo.

QUÆSTIO CLXXVIII. At quando dicit : *Non enim quod volo, hoc ago*; quæritur quomodo dicat se nolle quod agit; nonne quod facit est peccatum, et omne peccatum est voluntarium, et ita videtur velle, quod dicit se nolle? Solutio. Triplex est velle scilicet naturæ, culpæ et gratiæ; unde idem potest velle secundum carnem, et nolle secundum mentem.

QUÆSTIO CLXXIX. *Si autem quod nolo, hoc ago*, etc. Quæritur, quidnam sit illud, quod Apostolus dicit se nolle, et tamen facit, lege prohibente?

A Solutio. Concupiscere : lex enim prohibet concupiscere, et Apostolus vult secundum mentem non concupiscere, et tamen secundum carnem concupiscebat.

QUÆSTIO CLXXX. Sed quæritur quomodo dicat se facere, et non operari : idem enim si facit aliquid, illud operatur, et si non operatur, nec facit. Numquid affirmatio et negatio simul vera de eodem? Solutio. Facit secundum carnem, et non operatur secundum mentem.

QUÆSTIO CLXXXI. Quæritur an consequens sit ipsum non operari simpliciter, si non operatur secundum mentem; sicut consequens est, et si facit secundum carnem, et simpliciter facit. Solutio. Est quidem verum, quod ad affirmationem determinatam sequitur simplex affirmatio fere semper, sed negationem determinatam non solet sequi simplex negatio; unde oportet vim facere in pronomine cum dicitur : *Ego non operor* (ibid.), quasi ego interior, in quo veritas hominis consistit, quia imago Dei; et sic negatio, quæ videtur esse simplex, non est simplex, sed potius determinata.

QUÆSTIO CLXXXII. *Sed quod habitat in me peccatum*. Quæritur quomodo peccatum quod nihil est, sed tantum privatio boni, dicatur habitare in aliquo. Solutio. Hoc nomine, peccatum significatur fomes peccati, quæ lex carnis, vel lex membrorum dicitur, sicut consensus vel operatio, lex mortis appellatur.

C QUÆSTIO CLXXXIII. *Scio quod non habitat in me*, id est *in carne mea bonum*. Quæritur utrum universaliter de omni bono an indefinite de quodam bono dicat, quod non habitat in carne? Sed de omni bono quomodo hoc potest dicere, cum caro etiam corrupta et languori subjecta sit opus Dei, nec omni bono privata, maxime cum malum non sit res per se existens, nec potest esse nisi in re bona. Unde consequens est ut ubi nullum bonum est, nec aliquod malum sit; et ubi aliquod malum est necessario sit et aliquod bonum. Solutio. De sanitate sive naturæ integritate dicit, quod non habitat in carne : unde congrue probat quod peccatum est fomes peccati, quod privatio sanitatis, vel integritatis naturæ est; in carne habitat : ubi enim non est sanitas et debet esse, ibi est ejusdem privatio, quam Apostolus significat dicens : Non bonum habitat in carne.

QUÆSTIO CLXXXIV. *Velle adjacet mihi*, etc. Quæritur de illa voluntate, quam Apostolus dicit sibi adjacere, quid ipsa dicenda sit? Solutio. Nihil aliud quam affectus animæ naturalis, qui ex creatione est in anima, et quo anima naturaliter vult bonum; sed hic affectus semper caret effectu, nisi a gratia Dei adjuvetur.

QUÆSTIO CLXXXV. *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio; quoniam malum adjacet mihi*. His verbis videtur Apostolus insinuare, quod si malum non adjaceret, non solum velle sibi adjaceret, sed etiam perficere inveniret, cum nil impediret ad

bonum, vel impelleret ad malum. Sed in hoc ipso insinuat primum statum primi hominis ante peccatum, cui adjacebat velle, bonum, sed malum non adjacebat, unde non poterat dicere, velle adjacet mihi, perficere autem non invenio, quia malum adjacet mihi. Utrum autem illud bonum, quod naturaliter volebat, posset perficere sine additamento majoris gratiæ, posset quæri. Nonne illud velle, quod habuit Adam ante peccatum, multo intensius erat quam illud naturale velle quod habent pagani nunc? sed magna et multa bona faciunt (etsi non sunt digna vita æterna, quia sine fide facta) pagani ex naturali affectu quem habent: quomodo ergo Adam ante peccatum ex majore voluntate non potuit, nec ad modicum proficere, ut omnes fere asserunt? Item si Deus majorem gratiam non conferret, sed in illo statu, in quo eum creavit, sinneret, nonne posset exigere juste Deus ab homine, ut pro bono jam collato eum perfecte diligeret, sed Deus non posset juste exigere, quod homo non posset reddere: et sic videtur quod homo ante peccatum ex bono jam percepto posset proficere, quod multi negant.

QUÆSTIO CLXXXVI. Sed dicit aliquis, nonne Deus modo juste potest exigere ab homine, quod homo non potest reddere ut jam superius dictum est? Nisi enim Deus juste posset exigere ut nil concupisceret contra rationem; et ut Deum ex toto corde diligeret, non præcepisset homini utrumque. Simili modo videtur quod homo ante peccatum non posset totum reddere, quod Deus juste poterat exigere. Solutio. Homo ante peccatum per nullam culpam infirmus vel impotens effectus est; ideo facile poterat reddere quod Deus poterat exigere: post peccatum, et per peccatum talis effectus est, quod non valet solvere omne debitum, quod tamen Deus potest exigere, et ab iis exigit, qui de se præsumunt, et ad gratiam non confugiunt. Sciendum quod littera hæc ab illo loco: Ego carnalis sum, usque ad illum, *nihil ergo damnationis* (Rom. viii), etc., et de homine legis, et de homine gratiæ solet legi, et qualiter de homine gratiæ debeat, vel possit exponi secundum Augustinum dictum est. Qualiter autem de homine legis legatur diligenter intuendum est. Homo autem legis dicitur, qui per legem instructus cognoscit per peccatum, cui nolens resistere, vincitur et succumbit, et fomiti consentit, qui dicitur carnalis non solum fomitem sentiens, sed etiam ei consentiens. Cum ergo consensus sit rationis.

QUÆSTIO CLXXXVII. Quæritur quomodo homini legis conveniat, *volo bonum, odi malum, jam non ego operor illud, et consentio legi Dei*. Solutio. Licet consensus sit rationis, tamen quia carnalitas eam ad consensum traxit, non rationi sed carni ascribitur.

QUÆSTIO CLXXXVIII *Ut justificatio legis impletur in nobis* (Rom. viii). Quæritur quid vocet justificationem legis, cum ex lege non sit justitia. Solutio justificationem legis vocat non quam lex con-

A ferebat, sed quam lex præcipiebat et promittebat, quæ in nobis impletur per gratiam Christi, qui legem plene et perfecte implevit, et nobis gratiam implendi dedit, et quod minus agimus: ipse supplet, et pro nobis respondet.

QUÆSTIO CLXXXIX. An idem sit ambulare secundum carnem, et esse secundum carnem, et sapere ea quæ carnis sunt. Solutio. Non est idem. Nam ambulare secundum carnem, est opere implere ea, quæ caro concupiscit. Esse secundum carnem, est consentire concupiscentiis, vel esse dispositum in carnalibus. Sapere ea quæ sunt carnis, est delectari in talibus quæ caro summa judicat, vel non percipere ea quæ sunt Dei. Duobus enim modis dicitur quis carnalis, scilicet vita et doctrina, vel qui carni indulget, vel qui divinam potentiam naturis rerum alligat, id est qui credit quod Deus nil possit facere, nisi quod videt in natura rerum. Similiter ambulare secundum spiritum, est ea quæ sunt spiritus, opere implere. Esse secundum spiritum, est consentire spiritui, vel esse dispositum secundum spiritualia. Sentire ea quæ sunt spiritus, est delectari in spiritualibus, secundum quæ tria dicitur quis vere spiritualis. Dicitur etiam spiritualis per intelligentiam aliquis, et est aliquis spiritualis vita, et non intelligentia; alius intelligentia, et non vita; alius utroque modo; alius neutro, etc.

QUÆSTIO CXC. *Vos autem in carne non estis, etc.* Quæritur quomodo Apostolus dicat eos non esse in carne, cum pro superba eorum altercatione reprimenda eis scripserit. Solutio. In spiritu et non in carne dicit eos, quia secundum carnem non ambulabant, vel, quod melius est, inter Romanos erant quidam spirituales, et perfectæ fidei: propter quod dicit: Vos non estis in carne. Erant et alii inter se altercantes, et imperfectæ fidei, ad quos respiciens subjungit: *Si tamen Spiritus Dei habitat in vobis* (ibid.) quos hortatur ad perfectionem.

QUÆSTIO CXCI. *Si autem Christus in vobis est.* Quæritur quid sit Christum esse in aliquo, vel spiritum Christi? Solutio. Augustinus dicit: Christus in homine, fides est in corde. Sed secundum hoc in quocumque fides et Christus; sed in malo est fides ergo et Christus, vel Spiritus Christi est in malo. Idem enim est Christum, vel spiritum Christi esse in aliquo, sed spiritus Christi non est in aliquo nisi in quo est dilectio. Solutio. Non omnis, in quo est fides, habet fidem in corde; nam in corde non dicitur fides esse, nisi cum cordi sedet et placet, id est nisi ubi per dilectionem operatur, et secundum hoc idem est, Christum esse in aliquo, et fidem Christi in corde ipsius esse.

QUÆSTIO CXCI. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum.* Quæritur propter quod peccatum corpus sit mortuum, id est necessitati moriendi subjectum. Solutio. Propter reatum originalis culpæ; sed cum talis, imo omnis culpa in baptismo sit dimissa, quæritur cur talis pœna pro tali culpa inflata non tollitur. Solutio. Licet culpa pro qua talis

pœna infligitur sit dimissa, tamen talis infirmitas remanet, ne homines ad susceptionem illius sacramenti magis pro utilitate temporalis commodi properarent, quam pro fide et amore futuræ vitæ et sic non prodesset animæ in Christo renasci. Vel *corpus est mortuum propter peccatum* (Rom. viii) vitandum. Talis enim spiritus est humanus, ut nisi infirmitatibus esset obnoxius, supra modum extolleretur et sic non salvaretur, quod sine humilitate nequit fieri. Non igitur crudeliter, sed misericorditer; nec ex impotentia, sed ex magna dispensatione non aufertur nostra mortalitas cum cæteris pœnalitatibus in baptismo.

QUÆSTIO CXCIII. *Non enim accepistis spiritum servitutis, etc.* Quæritur an idem sit spiritus timoris, et spiritus adoptionis? Solutio. Idem spiritus propter varios effectus diversis vocatur vocabulis. Nota quod munus et auctor muneris eodem dicitur nomine.

QUÆSTIO CXCIV. Quæritur quomodo Romanis loquens dicat: Non iterum accepistis spiritum servitutis, iterum in timore, etc. Non enim illis prius datus est spiritus servitutis sicut Judæis. Solutio. Iterum, non notat iterationem in eisdem personis factam, sed in diversis, quasi diceret: Judæis quidem datus est in legis datione spiritus servitutis in timore, et iterum, *vobis est datus spiritus non timoris, sed adoptionis*. Timor, alius est mundanus, alius servilis, alius initialis, alius filialis. Mundanus est timor secundum quosdam, quando bonum dimittimus vel malum agimus, retenta tamen voluntate bona propter pudorem aliorum, ne viles habeamur, qui secundum eosdem etiam humanus dicitur. Secundum vero Cassiodorum, mundanus timor est quando timemus pericula carnis, vel perdere bona mundi, propter quod delinquimus, et iste timor malus est, et in primo gradu cum mundo deseritur: quem Dominus prohibet, dicens: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus* (Matth. x). Servilis secundum priores est, qui prohibet manum a malo opere, retenta mala voluntate.

QUÆSTIO CXCV. De quo potest quæri, an sit donum Spiritus sancti; quod si est, bonus est; sed videtur malus, cum propter pœnam faciat servire. Solutio. Iste bonus est bonum habens effectum, scilicet, cohibere a malo opere; hoc autem, quod mala voluntas remanet, non est ex ipso, sed ex hominis vitio. Secundum alios vero timor servilis est, quo timetur gehenna: quo fit bonum, sed non bene: qui dicitur initialis secundum priores et secundum etiam secundos est initium sapientiæ: qui præparat locum sapientiæ, et ducit ad charitatem. Dicitur etiam alio modo timor initialis, cum quod durum erat, incipit amari, et iste est quasi medius inter servilem et filialem, aliquid habens de utroque. Secundum utramque sententiam filialis timor est, non quo timetur pœna, sed ne offendatur sponsus, vel discedat, ne offendamus, ne Deo careamus: qui comes est perfectionis.

QUÆSTIO CXCVI. Quis autem horum fuerit in

A Christo solet quæri? Quod autem mundanus, cum sit malus non fuerit, constat: similiter nec servilis vel initialis, cum neuter posset esse in charitate perfecta: ergo vel filialis, vel nullus videtur fuisse in illo, sed filialis est, quo timemus offendere; sed nunquid Christus offendere vel separari timuit? Solutio. Filialis timor fuit in Christo non secundum effectum, quem habet in præsentem in nobis, sed secundum illum quem habet in angelis vel habebit in futuro in sanctis; sed secundum reverentiam, quæ est mista cum subjectione dilectio, unde Apostolus: *Et exauditus est pro sua reverentia* (Hebr. v). Item nonne Christus timuit pœnam, scilicet mortem, unde *cæpit Jesus pavere* (Marc. xiv): quo ergo timore? nunquid filiali, cum nullus alius fuerit in eo? Solutio. Timore naturali cæpit pavere, qui non est contentus in prædicta divisione; quia æque in bonis et malis est; qui dicitur naturalis, non quia cum natura sit concretus, sed ex corruptione inolevit quodammodo in natura: quem cum cæteris pœnalitatibus Christus suscepit.

QUÆSTIO CXCVII. Timor servilis datus est in lege, sed timor servilis secundum Augustinum est, quo timetur gehenna: ergo timor gehennalis datus est in lege: sed nonne gehennalis cohibet non solum manum, sed etiam animum; lex autem manum tantum, et non animum? Item, dicit Augustinus, quod timor servilis nunquam est cum charitate, sed nonne omnis, qui timet pœnam æternam habet timorem gehennæ? sed aliquis qui habet charitatem inchoatam, adhuc timet pœnam, et sic videtur, quod servilis timor sit in charitate. Has quæstiones moveo, non ut solvam, sed ut lectorem ad quærendum mecum excitem.

QUÆSTIO CXCVIII. Quæritur adhuc de timore servili utrum faciat servum Christi, an diaboli. Solutio. Nec Dei, nec diaboli, sed pœnæ servum facit; quia quodammodo libertatem tollit, et opus quod vult propter pœnam facere non sinit.

QUÆSTIO CXCIX. *Cohæredes autem Christi, etc.* Quæritur an Christus sit hæres, et si est, secundum quam naturam, videtur enim, quod secundum divinitatem non sit dicendus hæres, cum hæreditas sit aliquo decedente firma successoris possessio: sed nec Pater decedit, nec Filius ei succedit, quia uterque ab æterno: quomodo ergo hæres? Solutio. Sic quidem inter nos hæreditas habet esse per successionem; sed non sic in Deo: *Filius enim, quia habet esse a Patre, et omnia, quæ habet, a Patre habet* (Joan. i); non autem e diverso; ideo Filius hæres Patris est: secundum humanitatem vero accepit hæreditatem, secundum plenitudinem, de qua nos omnes accepimus.

QUÆSTIO CC. Quæritur quid sit esse cohæredes Christi. Solutio. Eiusdem hæreditatis participes. Sed secundum hoc videtur falsum nos esse cohæredes; quia possessio gentium, Christi est hæreditas. Unde: *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam* (Psal. ii): cuius hæreditatis non sumus parti-

cipes, et sic non sumus cohæredes. Solutio. Hæreditas Christi, secundum quam nos sumus cohæredes, est vita æterna, non gentium possessio.

QUÆSTIO CCI. *Si tamen compatimur.* Quæritur quomodo Christo jam non patienti sit compatendum. Solutio. Duobus modis Christo compatimur, vel ejus dolores, quos pro nobis sustinuit ad memoriam revocando, et sic ei compatiendo condolere, vel ad similitudinem ipsius cum ipso, et propter ipsum tribulationes sustinendo. Compassio, quandoque nomen est naturalis affectus, quandoque consensus ipsius qui est virtus.

QUÆSTIO CCII. *Non sunt condignæ passionēs hujus temporis, etc.* Quæritur an merita sanctorum sufficiant ad futuram vitam consequendam: si enim veram habent justitiam digni sunt corona; sed quod vere justī sint patres Novi Testamenti, ipse Apostolus insinuat, dicens: *De reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi justus judex: non solum autem mihi, sed et omnibus, qui diligunt adventum ejus (II Tim. iv).* Hic autem videtur dicere quod tribulationes, quas sustinent sancti, non sufficiunt ad futuram gloriam, quæ est revelanda, promerendam: hoc est enim passionēs non esse condignas ad futuram gloriam. Solutio. Non negat Apostolus quin merita sanctorum ad consequendam gloriam sufficiant, sed ad tam excellentem gloriam promerendam non sunt condigna; quia Deus ex sua gratia superaddet plus quam meruerunt merita nostra, quod est breviter dicere, nostra merita minima sunt respectu præmiorum. Vanitati enim creatura subjecta est. Nota triplicem esse vanitatem: prima est mutabilitatis, secunda est mortalitatis, tertia est iniquitatis, et homo est omnis vanitas, id est, omni vanitati subjectus.

QUÆSTIO CCIII. *Non volens, sed propter eum, qui subjecit eam in spe.* Quæritur quid creatura subjecta vanitati non velit: si malum non vult, voluntas bona est: sed tunc nihil est quod sequitur. Sed propter eum, etc.; si autem bonum non vult, peccat cum debeat velle bonum. Solutio. Voluntas pluribus modis dicitur; quandoque enim dicitur naturalis affectus, ut ibi, non quod volo, ago; quandoque consensus illius, secundum quod dicitur voluntas damnanda vel remuneranda; quandoque horror carnis, ut ibi: *Non sicut ego volo, sed sicut tu (Matth. xxvi),* et hoc modo hic accipitur, et est sensus: Licet amara sit pœna, quam sustineo, tamen delector eam sustinere propter Christum.

QUÆSTIO CCIV. *Omnis creatura ingemiscit, etc.* Quæritur quomodo hoc verum sit, cum lapis sit creatura, nec tamen ingemiscat? Solutio. Omnis, hic non colligit singula generum, sed genera singulorum, et est sensus: Omnis creatura, id est homo, in quo est omne genus creaturarum. Tres enim sunt species creaturæ, scilicet corporalis, et animalis, et spiritualis: quæ omnes sunt in nomine, et sic omnis creatura ingemiscit in homine.

QUÆSTIO CCV. *Non solum autem illa, sed et*

nos, etc. Nonne nomine creaturæ intelliguntur boni? quomodo ergo distinguit Apostolus inter apostolos primitias Spiritus habentes, et inter creaturam quasi ipsi boni non essent? Solutio. Qua ratione inter creaturam et filios Dei, licet filii Dei sint creatura, distinguit inter creaturam et apostolos, quamvis ipsi sint creaturæ, distinctionem faciens quæ attenditur non in diversitate alterius qualitatis, sicut glossæ diligenter inspectæ declarant.

QUÆSTIO CCVI. *Spes, quæ videtur, non est spes, etc.* Quæritur quid sit, quod nomine spei significatur, cum dicitur: Spes quæ videtur, et a quo removetur; cum dicitur: Non est spes. Ei, quod non est spes quomodo nomen spei convenit, vel aptatur? Solutio. Sicut æquivoce dicitur fides id, quo creditur et id quod creditur; sic æquivoce spes, id quo speratur, et id quod speratur, appellatur. Et sic spes, quæ videtur, id est res sperata, non est spes, qua speramus, scilicet virtus illa. Vel aliter, spes, quæ videtur, id est illa quæ est de re visibili, non est spes nostra, scilicet, cujus jam merito salvi facti sumus.

QUÆSTIO CCVII. *Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Quæritur, cum Spiritus nullo indigeat, nec aliquas angustias patiatur, quomodo dicatur postulare vel gemere. Solutio. Quod ipso auctore faciunt sancti, Spiritui attribuitur: postulat ergo, vel gemit, quia facit nos postulare, vel gemere.

QUÆSTIO CCVIII. An Spiritus aliquod postulet, et non obtineat? Nonne quoties aliquid petimus ex charitate, ipse Spiritus postulat in nobis: sed sæpe petimus pro illo, qui jacet in crimine, nec exaudimur, et sic videtur, quod Spiritus quo docente oramus, non exaudiatur. Solutio. Duæ sunt species justæ orationis, vel cum petimus quod est petendum, vel cum petimus ubi est petendum; quandoque autem petimus ubi est petendum: nec tamen quod est petendum, et Spiritus tunc docet qualiter sit petendum, sed non docet quid est petendum, et ideo non obtinemus. Quotiescunque autem petimus quod est petendum et ubi est petendum, obtinemus.

QUÆSTIO CCIX. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Nonne quidam ad tempus diligunt, et postea cadunt et sic damnantur? His autem non omnia cooperantur in bonum, et ita videtur, quod diligentibus Deum non omnia cooperantur in bonum. Solutio. Non dicit simpliciter, quod diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, sed *diligentibus et vocatis sanctis secundum propositum*: quidam enim diligunt, nec tamen vocati sunt sancti secundum propositum, sicut quidam sunt præordinati ad vitam, nondum tamen diligunt, et neutris omnia cooperantur in bonum, sed diligentibus et vocatis sanctis secundum propositum.

QUÆSTIO CCX. Item quæritur quomodo propria peccata talium cooperentur eis in bonum. Solutio. Humiliores et doctiores resurgunt.

QUÆSTIO CCXI. Sed nonne, si non cecidissent, sed tunc bonum fecissent, meliores essent quam modo sint ; ut hæc corrupta si haberet cum iis bonis, quæ nunc habet, etiam virginitatem, nonne altioris gradus et majoris meriti esset ? Solutio. Est quidem verum si Maria Magdalene cum tanta devotione haberet etiam virginitatem, majoris meriti esset, sed ad perfectionem quamdam casus ipsius cooperatus est, et forsitan si non tam turpiter cecidisset, nunquam medicum cœlestem tantum dilexisset : non tamen peccatum est, ut gratia abundet.

QUÆSTIO CCXII. Item queritur quomodo malorum peccata cooperentur bonis in bonum. Solutio. Nihil fit in mundo, quod aliquid utilitatis non conferat bono universitatis, et sic omnia bona, vel mala propria, vel aliena cooperantur bonis in bonum.

QUÆSTIO CCXIII. An omnia damnandis cooperantur in malum ? Quod mala ipsorum, eis nocent constat ; sed utrum bona, quæ quandoque faciunt, cooperentur eis in malum, potest queri quod videtur : quia scriptum est : *Melius est viam veritatis non agnoscere, quam post agnitam, retroire (II Petr. II)*. Solutio. Damnandis non omnia cooperantur in malum ; qui pro bonis, quæ quandoque faciunt, minus punientur. Quod autem dicitur : *Melius est, etc.* Non de iis damnandis, qui aliquando justi fuerunt, dictum est de hæreticis.

QUÆSTIO CCXIV. *Quos præscivit, et prædestinavit.* Queritur an præscientia sit causa prædestinationis, sicut prædestinatio causa est vocationis, vocatio causa justificationis, et justificatio magnificationis, quod videtur secundum suppositum ordinem : sed cum utrumque sit æternum, quomodo unum potest esse causa alterius ? Solutio. Licet utrumque sit æternum, tamen unum potest esse causa alterius ; sicut Filius et Spiritus sanctus, cum uterque sit æternus, tamen Filius causa est Spiritus sancti : sic, secundum quosdam, præscientia pertinet ad scientiam, et sic ad Filium ; prædestinatio ad electionem ; electio ad voluntatem, quæ pertinet ad proprietatem Spiritus sancti : ideoque sicut Filius est causa Spiritus sancti, sic et præscientia causa est prædestinationis, quam naturaliter, non tempore præcurrit.

QUÆSTIO CCXV. An idem sit in Deo præscientia, et prædestinatio ? Ad cujus quæstionis solutionem sciendum est quod divina usia cum sit una et simplex ; tamen propter varios effectus diversa sortiuntur vocabula ; dicitur enim sapientia, scientia, prævidentia, providentia, dispositio, prædestinatio. Sed sapientia et scientia de omnibus est præteritis, et præsentibus, et futuris bonis et malis, et prævidentia de eisdem ; providentia de gubernandis, quæ quandoque accipitur pro prævidentia dispositio de faciendis ; prædestinatio de salvandis, et sic in Deo quantum ad essentiam idem est præscientia et prædestinatio.

QUÆSTIO CCXVI. An præscientia esset in Deo, si

nulla essent futura ? Quod non, sic volunt probare. Si nulla essent futura, Deus non præsciret aliqua futura, etsi hoc esset, præscientia non esset in Deo ; sed præscientia est divina scientia, et ipsa est Dei essentia, et sic videtur, si nulla essent futura, quod Deus non esset ; quod absit ! Solutio. Præscientia non simpliciter significat divinam essentiam, sed circa eam designat relationem respectu futurorum : unde ista locutio, si nulla essent futura, præscientia non esset in Deo ; duobus modis intelligitur. Si enim dicatur : Si nulla essent futura, præscientia non esset in Deo, id est, si nulla essent futura, subjecta divinæ scientiæ nulla essent, unde ipsa diceretur præscientia, verus est intellectus. Si autem sic intelligatur : Si nulla essent futura, præscientia non esset in Deo, id est, scientia, qua præscit futura, falsa est intelligentia.

QUÆSTIO CCXVII. An præscientia Dei sit causa futurorum, an futura præscientiæ ? Nulla essent futura, nisi Deus prævidisset ; et sic videtur, quod præscientia sit causa futurorum. Unde Augustinus universas creaturas, non quia sunt, ideo novit Deus ; sed jam sunt, quia novit. Sed cum æque sciat bona et mala, videtur quod præscientia causa tam malorum quam bonorum sit. Sed dicit Origenes : Non propterea aliquid erit, quia id Deus scit futurum, sed quia futurum est illud, præscit Deus : hoc videtur : esse contrarium illi superiori sententiæ Augustini. Solutio. Quandoque accipitur notitia pro beneplacito, et tunc est causa futurorum ; sed tantum bonorum : sic quod Augustinus superius accepit : quandoque vero solam notitiam, vel cognitionem significat, et tunc est causa futurorum ; sed æque se habet ad bona et ad mala ; et sic Origenes accepit, et sic nec præscientia, causa est futurorum, sed nec futura præscientiæ nisi dicatur causa sine qua non sit.

QUÆSTIO CCXVIII. An præscientia necessitatem eveniendi inferat rebus futuris ? Quod videtur, quia si Deus præscivit aliquid futurum, illud non potest non evenire ; et si hoc est, necessario eveniet quicquid præscivit. Item videtur, quod Dei prævidentia posset falli ; quia si illud, quod est prævisum, potest aliter evenire quam evenit, potest aliter quam sit prævisum evenire, ut si Deus aliquem hodie lecturum prævidit : conceditur ab omnibus, quod talis aliquis, qui hodie est lecturus, potest non legere, et sic aliter quam sit præscitum potest contingere. Solutio. Communis hæc est, hæc et similia possunt per conjunctionem et disjunctionem exponi ; sensus conjunctionis hic est : Si Deus prævidit, necesse est evenire, id est, non potest simul esse utrumque, ut Deus prævideat et non eveniat, et sic est verum. Disjunctionis sensus hic est : Hoc futurum non potest aliter evenire quam eo modo quo evenit, et quam sit prævisum, et hoc est falsum. Item si aliter eveniret quam est præscitum, non falleretur, divina providentia ; quia tunc hoc non esset prævisum, sed aliud quod tunc eveniret. Prædictæ solutioni sic objicitur : Si Deus aliquid prævidit, illud eveniet ;

hæc hypothetica est necessaria : unde si antecedens est necessarium, et consequens ; sed antecedens est necessarium, quia quod est præscitum, non potest non præscitum esse, et sic videtur quod quidquid futurum est, quadam necessitate sit futurum. Quod etiam videtur aliter posse probari : Deus ab æterno Verbo æterno suo dixit de quolibet futuro, quia erit ; sed impossibile est Deum mentiri : sed si illud quod dixit futurum non eveniret, consequeretur quod Deus esset mendax, et ita necessario eveniet quod futurum est ; unde Augustinus : Sicut necessarium est fuisse quod fuit, sic necessarium est fore quod futurum est. Et alibi de Deo loquens : Cujus, inquit, voluntas necessitas est, quia, si voluerit, necessario erit. Solutio. Sunt nonnulli, qui concedunt quod Deus potest non prævidisse, quod ab æterno prævidit : et ideo dicunt quod antecedens præcedentis hypotheticæ non est necessarium, et ideo nec consequens. Sed qualiter verum sit, quod dicunt, non video. Item secundæ objectioni respondeant, quomodo Deus non sit mendax, si illud quod futurum prædixit, non eveniat ; vel quomodo voluntas Dei sit necessitas ; vel quomodo verum sit, quod dicit Augustinus, necessarium est fore, quod futurum est. Nos autem Augustinum sequentes, dicimus geminam necessitatem esse, unam, quæ attenditur secundum causas inferiores, quæ quandoque impeditur a superioribus ; et alteram, quæ intelligitur secundum causas superiores, quam impossibile est non impleri. Eorum autem quæ futura sunt, quædam æque eveniunt, et secundum causas superiores, et secundum causas inferiores, quædam tantum secundum causas superiores : quidquid autem futurum est quoad necessitatem, quæ intelligitur secundum universitatem causarum, non potest impedi quin eveniat. Usus autem loquendi formatus est secundum causas inferiores, quia magis nobis notæ, sunt. Unde sæpe dicimus, quod aliquid potest esse, et idein potest non esse, quia causæ istæ utrumque permittunt ; secundum causas vero superiores unum tantum potest esse, scilicet quod Deus vult, quod disponit, quod ab æterno præscivit, et Verbo suo futurum prædixit, et nullo modo potest impedi quin eveniat : ad has causas Augustinus respiciens, dixit necessario fore quod est futurum.

QUÆSTIO CCXIX. Item quæritur an scientia Dei possit augeri vel minui. Quod possit, volunt probare sic : Deus scit hunc lecturum, sed potest non legere : ergo Deus potest nescire hunc lecturum. Vel sic : Iste non est lecturus ; sed potest legere : ergo Deus potest scire istum lecturum, qui non est lecturus : sed potest fieri ut legat, ergo potest a Deo sciri quod non sit. Solutio. Scientia Dei immutabilis est, nec potest augeri vel minui : tamen concedunt nonnulli, quod Deus potest scire quod nescit, et nescire quod scit, et plura scire quam sciat, nescientes respondere prædictis objectionibus. Nos autem dicimus quod Deus non potest scire quod nescit, nec nescire quod scit, nec plura

A scire quam scit ; quia si aliqua quæ nunquam fient inciperent fieri, non tamen inciperent a Deo sciri, qui ab æterno omnia perfecte novit, non solum quæ quandoque fiunt, sed quæcunque possunt fieri : scit enim et quibus causis possunt fieri, et qualia essent, si fierent. Non enim modo plenior habet scientiam de mundo, quam habuit ab æterno : nec modo minorem scientiam de iis, quæ nunquam fient, cum possent fieri, quam haberet si fieret. Tamen magna quæstio est utrum aliquid tale sit in sola possibilitate, quod nunquam sit actu : quod enim non habet in Deo causam, quomodo potest prodire in actum ? Sed de hoc alibi dicendum est quod modo ex accidenti tetigimus. Prædictis autem objectionibus respondentes, dicimus quod hæc, Deus scit hunc lecturum, ponit quod iste sit lecturus et quod hoc sciat Deus : et ideo ex quo non est lecturus, non est concedendum quod Deus sciat hunc lecturum, non quia Deus aliquid nesciat : sive enim legat, sive non legat, non ideo plus vel minus scit vel non scit Deus. Idem iudicium de similibus. Notandum etiam, quod cum dicitur, quod ille qui est lecturus, potest non legere, vel qui non est lecturus potest legere, hoc dictum est secundum causas inferiores ; sic autem ad causas superiores respiciamus, quod futurum est determinate erit, et non alterum, nec poterit non evenire : tamen quia usus formatus est secundum causas inferiores, quæ neutrum cogunt, sed utrumque permittunt, dicimus, quod utrumque potest esse et non esse, cum tamen in veritate verum sit, futurum unum, et non alterum.

QUÆSTIO CCXX. An numerus prædestinatorum possit augeri, vel minui ? Idem quæritur de numero reprobatorum. Quod sic volunt probare. Deus potest non apponere gratiam cui apponit, quod si faceret, prædestinatus damnaretur ; et potest apponere cui non apponit : quod si faceret, reprobus salvaretur. Et sic qui prædestinatus est, potest damnari, et qui reprobus est, potest salvari : et aliquis potest transire de numero prædestinatorum ad numerum reprobatorum, et e converso. Solutio. Hoc ad similitudinem prædictorum solvunt secundum conjunctionem et disjunctionem. Nos autem dicimus, quod est possibile secundum causas inferiores, forsitan impossibile est secundum causas superiores. Item non videtur esse consequens, Deus potest hunc salvare vel damnare, ergo hic potest salvari vel damnari. Non enim posse Dei sequitur posse nostrum, ut si Deus potuit aliter redimere genus humanum, quod ideo genus humanum posset aliter redimi, quam per mortem Filii Dei : et si hoc Deus habuit in sua potestate, quod homo ideo habeat in sua potestate aliter salvari, nonne Deus potest, si vellet, salvare Judam ? Nunquid ideo Judas potest salvari ? Notandum est, quod causæ inferiores dicuntur, quas Deus in prima rerum conditione creaturis indidit, secundum quas similia ex similibus nascuntur, ut ex tali grano talis arbor vel fructus procedat. Causæ vero superiores dicuntur divina potentia, voluntas, dispositio et

prædestinatio : quæ quandoque cum inferioribus, A pter Deum remunerare, et ideo nihil interest, sive nos audiant sive non audiant.

QUÆSTIO CCXXI. *Conformes fieri imaginis Filii sui, etc.* Quæritur cur Filius dicatur imago Patris. Solutio. Quia simillimus ejus, et quia est ejusdem essentia.

QUÆSTIO CCXXII. Sed cum Spiritus sanctus sit æque similis Patri, cum sit ejusdem substantia, quare Filius et non Spiritus sanctus dicitur imago Patris ? Solutio. Quia imago magis pertinet ad proprietatem generationis quam processionis : ea enim, quæ generantur, solent esse similia magis, quam ea quæ procedunt.

QUÆSTIO CCXXIII. An Filio sint duæ imagines, quia est imago increata secundum quod Deus, et imago creata secundum quod est homo. Solutio. Non ideo duæ imagines, quia in Christo imago increata, et imago creata non sunt duæ imagines, sed una ; sicut est Filius Dei et filius hominis ; non tamen duo filii, sed unus Filius Dei et filius hominis.

QUÆSTIO CCXXIV. *Quos vocavit, hos et justificavit, etc.* Quæritur quomodo distinguit Apostolus inter vocare et judicare, cum vocando, justificet. Solutio. Per vocationem intelligit charitatis infusionem ; per justificationem gratiam subsequentem et conservantem.

QUÆSTIO CCXXV. *Quos prædestinavit, et vocavit, etc.* Quæritur an omnes vocati sunt prædestinati, quod videtur, quia vocatio est effectus prædestinationis. Sed aliqui sunt vocati, qui non sunt electi, quia scriptum est : *Multi sunt vocati, pauci electi (Matth. xxii)* ; sed soli electi sunt prædestinati ; ergo non omnes vocati sunt prædestinati. Solutio. Vocatio alia est communis, quæ fit prædicatione exterius, et etiam quandoque interius per inspirationem : alia est specialis, quæ fit secundum propositum, secundum quam nullus vocatur nisi electus et prædestinatus. Secundum autem communem vocationem dictum est : *Multi sunt vocati, pauci vero electi.*

QUÆSTIO CCXXVI. *Quis accusabit adversus electos ?* Nullus, quia quod Deus non vult, alius non potest. Sed quæritur quid sit Deum aliquem accusare ? Solutio. Deum accusare, est permittere hominem in peccatum cadere. Diabolum vero accusare, et per tentationem in peccatum dejicere, et dejiciendo accusabilem facere.

QUÆSTIO CCXXVII. Quæritur quomodo Christus interpellet pro nobis. An voce, an tantum mente et desiderio ? an alio modo ? Solutio. Christum pro nobis interpellare, est per merita suæ obedientia in sua humanitate exhibitæ Deo Patri, nos ei per fidem et dilectione reconciliare adhærentes.

QUÆSTIO CCXXVIII. Quæritur etiam an sancti, quorum patrocinia postulamus pro nobis interpellent, et quomodo ? Solutio. Sanctos pro nobis interpellare non est aliud quam Deum pro meritis eorum bonos affectus, quos habemus in eos pro-

pter Deum remunerare, et ideo nihil interest, sive nos audiant sive non audiant.

QUÆSTIO CCXXIX. *Quis separabit nos a charitate Dei, etc.* Quæritur an Apostolus erat tantæ perfectionis, ut non posset peccare mortaliter ; si enim non potuit separari a Deo, nec potuit peccare mortaliter ; hoc enim separari. Sed cum alibi dicat : *Nec magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ (II Cor. 12)* : innuit quod si potuit extolli, potuit peccare etiam mortaliter, et sic separari. Solutio. Nullus alius ab eo poterat separare Apostolum ; ipse tamen poterat seipsum separare quia in hoc meruit, quod potuit transgredi, et non est transgressus. Cum enim Christum ante Neronem confessus est, tunc potuit eum negare, si vellet : quod ergo nec vita, nec mors potuit, ipse potuit.

QUÆSTIO CCXXX. Quæritur quomodo causa faciat martyrem, et non pœna, cum nullus sit martyr sine pœna, sicut nec causa. Sicut enim pœna sine causa non sufficit ad coronam martyrii, sic nec causa sine pœna. Solutio. Quod dicitur, causa facit martyrem et non pœna, scilicet tantum intelligendum est. Sed dicit aliquis, quod eadem ratione potest dici, pœna facit martyrem non causa, ut intelligeretur tantum. Responsio. Causa sine pœna prodest ; pœna sine causa non solum non prodest sed obest ; et hoc quod pœna prodest, quando prodest, hoc habet ex causa, ideo potius hoc dicitur quam illud.

QUÆSTIO CCXXXI. *Tristitia mihi magna est, continuus dolor cordi meo (Rom. ix).* Quæritur quare Apostolus dicat se dolere, quod prius cum errantibus dicat se dolere, quod prius cum errantibus errans persequatur Ecclesiam : cum enim magnum commodum provenerit ex illa persecutione, non est ei dolendum, sed gaudendum de ipsa ? Solutio. Non dolebat Apostolus de bono, quod est consecutum de malo suo, sed de peccato, quod ipse commisit, pro quo dolore semper bonum est.

QUÆSTIO CCXXXII. *Optabam ipse anathema esse a Christo pro fratribus.* Quæritur quomodo Apostolus optaverit separari a Christo, an secundum gloriam, an secundum justitiam. Si secundum gloriam, videtur plus dilexisse fratres quam Deum, quod nullo modo faciendum est ; si secundum justitiam optavit separari, hoc non potuit sine peccato et sine offensa Dei, quod rationabiliter ab aliquo non potest optari. Solutio. Non optavit separari a Christo sic vel sic, sed his verbis ostendit mirabilem affectum suum, quem habuit erga Judæos, quo genere locutionis usus est Moyses dicens : *Aut dele me de libro vitæ, aut dimitte eis hanc noxam (Exod. xxxii)*. Vel potest dici, quod uterque tam Moyses quam Apostolus præposuit in desiderio suo et optatione salutem tantæ multitudinis propriae salutis, nec in hoc dilectionem Dei postposuerunt ; imo Dei gloriam et honorem propriae salutis præferentes, malentes Dei gloriam magnificari in tot salvatis, quam

diminui in uno salvato ; et hæc perfectio excedit A omnem perfectionem, quia major non potest excogitari.

QUÆSTIO CCXXXIII. *Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas apud Deum?* Quæritur an Deus sit iniquus reprobando, et indurando, et tandem damnando istum qui non potest bene operari sine gratia prædestinationis, maxime cum ipsam prædestinationem non possit promereri? Solutio. Nulla nimirum est apud Deum iniquitas. Ut autem pateat nullam iniquitatem esse apud Deum, videndum est quid sit prædestinatio et quid ejus effectus, et quid reprobatio et ejus effectus. Prædestinatio est gratiæ præparatio : nomine gratiæ hic significantur bona gratuita, quibus in præsentibus justificamur, vel in futuro coronamur ; sed quod B præparatio significat videndum est. Dictum est superius quod divina usia cum sit una et simplex, propter varios effectus rerum diversa sortitur vocabula : de quibus unum est prædestinatio. Præparatio itaque non est aliud quam ipse Deus præparans, et discernens, et statuens, et proponens, vel eligens in semetipso, ut hæc, vel illis in tempore conferat dona, et hoc propositum vel hæc præparatio causa est futurorum bonorum, quibus adoptamur in filios Dei. Ecce dictum est, quid sit prædestinatio, et quid ejus effectus, scilicet vocatio, justificatio, et magnificatio. Sed nunquid reprobatio est aliquid quod ab æterno fuerit in Deo, vel ipse Deus : quod sit causa futurorum malorum sicut prædestinatio bonorum? Quod si C conceditur sequitur, quod Deus sic causa est, et auctor malorum. Unde sciendum est quod reprobatio non aliquid ponit ; quia non est aliud Deum aliquem reprobare, nisi non eligere, et non prædestinare, bona gratuita non præparare. Cujus effectus est indurare : quod non est aliud, nisi gratiam non apponere, qualis causa talis est effectus. Nulla autem est iniquitas vel injustitia, si Deus non det aliquid illi, cui nil debet. Non itaque Deus iniquus in eo, quod aliquem reprobat vel indurat.

QUÆSTIO CCXXXIV. Quæritur autem cur Deus non omnes reprobavit, vel cur non omnes prædestinavit ; sed quosdam prædestinavit et quosdam reprobavit. Solutio. Si omnes prædestinaret, lateret divina justitia, quia nesciretur quod juste debere- D tur culpæ ; si omnes reprobareret, non appareret bonitas Dei. Indicavit autem melius esse Dei sapientia bonum et malum esse, quam tantum bonum, quamvis ipsa non fecerit nisi bonum.

QUÆSTIO CCXXXV. — Quæritur autem quare potius elegerit Jacob quam Esau ; similiter de quolibet electo, et reprobo idem potest quæri. Non enim potest dici, quod propter futura merita bona vel mala alter sit electus, et alter sit reprobatus : sic enim quod est temporale, causa esset ejus quod est æternum. Item si dicatur quod Jacob sola gratia sit electus, Esau propter originale peccatum sit reprobatus, quæritur quare propter item peccatum Jacob non sit reprobatus, vel quare Esau ex eadem

PATROL. CLXXV.

gratia non sit electus? Solutio. Si tamen solutio debeat dici ostendere aliquid esse insolubile. Dicunt sic factum esse quia Deus voluit fieri ; si autem quærat quare sic voluit, stulta est quæstio, quia divinæ voluntatis quæritur causa, cujus nulla est ; imo ipsa omnium est causa prima et principalis. Sed B. Hieronimus dicit quod Deus nihil fecit, quia vult, sed quia ratio est sic fieri. Ideoque non incongrue potest sic quæri cur hoc voluerit, et responderi : Quia judicia Dei abyssus multa. (*Psal. xxxv*). Possumus tamen dicere, salva secretorum reverentia et absque supercilio assertionis, quod ideo potius elegit Jacob quam Esau, quia præscivit majorem utilitatem provenire bono universitatis ex electione Jacob quam Esau. Sed dicet aliquis : Ergo id, quod est temporale, causa est ejus ; quod est æternum, scilicet bonum, quod prævidit tunc futurum, causa est prædestinationis. Ad quod dicimus, quod hoc non est verum ; ad illud tamen respicit causa, scilicet æterna ratio, ut enim illud eligeret, ex quo major utilitas bono universitatis proveniret : ratio erat et hæc æterna, quæ respicit ad illud bonum temporale ex electione Jacob futurum.

QUÆSTIO CCXXXVI. Sed iterum quæritur cur major utilitas provenit ex electione Jacob quam Esau? Solutio. Quia magis commendatur gratia ex electione Jacob quam Esau. Item quæritur quare magis commendatur ex electione Jacob quam Esau. Solutio. Quia minor erat natu. Si enim major natu eligeretur, videretur quod privilegio nativitatis hoc fieret.

QUÆSTIO CCXXXVII. Quæritur quare Jacob non fuerit prior natu et Esau posterior, ut sic saltem Esau eligeretur? Solutio. Hoc est quæri cur Jacob non sit Esau, et e converso : et ideo est questio sine ratione.

QUÆSTIO CCXXXVIII. Ex his, quæ in tempore fiunt, oritur eadem difficultas : quare enim huic magis quam illi Deus conferat gratiam solet quæri, cum sint indifferentes, et neuter possit gratiam promereri, sine qua non potest salvari. Videtur enim non esse mihi imputandum si non facio quod sine gratia non possum facere, cum gratia non sit collata mihi, sed magis illi qui non confert mihi necessariam gratiam, cum non possit sine detrimento suo. Solutio. De gratia diversi diversa sentiunt. Quidam dicebant Deum non posse facere, nisi quod facit : quod non esse verum constat. Alii dicunt : Quoddam seminarium virtutis (quod radicem charitatis vocant) in isto est, ex quo aptus est ut gratia sibi collata vitam æternam promereatur : quod quia in illo non est, nec charitatem, nec vitam æternam promereri potest. Sed quia hoc contra Ecclesiam est, omnino prætermittatur. Alii dicunt quod Deus suam gratiam omnibus communiter proponit, quam qui apprehendit, salvabitur : qui non apprehendit, damnabitur, velut si quis tibi in turre bonum cibum præparaverit, et dicat : Ascende ut cibum capias : sed quia tu sine scala, vel aliquo hu-

jusmodi auxilio ascendere non potes, idcirco dicunt: Alia gratia opus esse, ut ad illam superiorem ascendas. Item ad illam apprehendendam alia, et ad illam alia, et sic usque ad infinitum. Sed hi totum gratiæ attribuunt, et nihil merito relinquunt. Sunt alii qui dicunt gratiam propositam etiam porrigendo homini, ut ipse eam apprehendat, sine qua apprehensa erigi non potest, veluti si cui existenti in puteo funis demittatur, sine quo non potest a puteo exire; si vero manum ad funem porrigat et apprehendat, extrahitur, et aliquid ex homine est, licet meritum absque gratia esse non possit. Sed quia hæc sententia dividit inter meritum et gratiam, quod aliquid boni sit ibi ex homine, saltem quod manum erigit et funem apprehendit, quod quia sine gratia fieri nequit, hæc quoque sententia cum prædicta est cavenda. Potest autem dici quod gratia Dei æque bono et malo, id est prædestinato et reprobo proponitur, quam tamen unusquisque non apprehendit vel trahentem sequitur; imo ille, cui gratiæ radius infunditur, oculos claudit; et si radium quo tangitur repellit, unde et ipsi merito gratia subtrahitur, quia ipse se subtrahit. Est enim in gratia quemadmodum in solis radio, qui se oculo ingerit, quo oculus tactus visum exercet. Est enim oculus talis naturæ ut per illum visus exerceatur, si solis radio percutiatur, sine quo visio non est in oculo: nisi tamen talis naturæ esset, etiam tactus radio non videret, ut paries, vel lapis non videt, etsi radio solis perfundatur; sic anima habet potentia promerendi naturaliter, quam tamen non potest exercere, nisi splendore gratiæ perfundatur. Cum vero tangitur, movetur et meretur unde totum est ex gratia, sic tamen ut non excludatur meritum, veluti si puer qui nondum gradi potest ab aliquo ducatur, et graditur quidem: quod tamen per se non posset, nec etiam alio ducente, nisi haberet naturalem potentiam gradiendi: tamen totum ex ducente dicitur esse, quod graditur; sic ad hoc ut anima promereatur duo exiguntur et gratia, et naturalis potentia: tota tamen auctoritas promerendi solius est gratiæ, qui naturalis potentia nil ponit sine gratia.

QUÆSTIO CCXXXIX. *Quoniam in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam, etc.* Quæritur an Deus mentem hominis inclinet ad hoc, ut homo deterior efficiatur? Solutio. Pharaon in illa excæcatione non est deterior effectus quam prius esset; sed per signa foris proposita, malitia quæ prius in mente concepta erat, excitata est, et in opus erupit, sicut invidia Judæorum Domino cum tanta gloria intrante in Hierusalem erupit, et seculus jam conceptum maturavit. Vel excitare Dei nihil est aliud, nisi justo iudicio præcipitari permittere: de hac questione in præmissis dictum est diligentius.

QUÆSTIO CCXL. *Cui vult miseretur, et quem vult indurat.* Quæritur an voluntas Dei sicut est causa miserationis, sic sit causa indurationis: quod vide-

atur, cum Apostolus dicat: Cui vult, etc. Solutio. Voluntas Dei non est causa, nisi ejus quod est aliquid; induratio non ponit aliquid, sed potius removet; tamen ut Apostolus ostendat quod Deus juste potest dare cui vult, et non dare cui vult non dare: non enim necessitate facit Deus, sed sola voluntate. Quod autem causa boni sit, constat, unde Apostolus superius: *Non est volentis, nec currentis, sed miserentis Dei (ibid).*

QUÆSTIO CCXLI. Sed potest quæri quomodo velle non sit volentis, cum nemo hoc possit sine voluntate. Solutio. Voluntas bona et hominis est, sed tanquam accipientis; et Dei, sed tanquam auctoris, et auctoris.

QUÆSTIO CCXLII. *An non habet figulus potestatem luti, etc.* Quæritur: ad quid inducatur hæc similitudo; nunquid Deus format aliud vas in honorem, aliud in contumeliam? Vel nunquid ex Deo habet esse contumeliosum? Solutio. Quod vas aliud est in honorem ex Deo est; quod vero contumeliosum est, ex ipso vase est. Tamen bona est similitudo, quia sicut vas aliud in honorem, aliud in contumeliam facit figulus: sic dicitur Deus formare aliud vas in honorem, aliud in contumeliam; vel quod melius est, ideo dicitur Deus formare aliud in honorem, et aliud in contumeliam; quia Deo auctore habent esse etiam illa quæ sunt vasa iræ vel contumeliæ, non tamen ex Deo esse habent vasa contumeliæ, sed proprio vitio.

QUÆSTIO CCXLIII. Quæritur quid sit scribi in libro vitæ secundum præscientiam. Solutio. Esse præscitum et præordinatum ad vitam, sicut scribi secundum justitiam est esse in statu in quo si exiret ab hac vita, salvaretur. Sunt itaque quidam scripti secundum præscientiam, et non secundum justitiam, ut illi, qui nondum virtutem habent, tamen sunt præordinati ad vitam. Quidam vero scripti sunt secundum justitiam et non secundum præscientiam, ut qui charitatem habent, prævisi tamen ad mortem. Quidam vero scripti sunt secundum præscientiam et secundum justitiam, ut illi, qui charitatem habent, et sunt prædestinati ad vitam. Quidam vero nec secundum præscientiam, nec secundum justitiam, ut illi, qui nunquam boni fuerunt nec prædestinati sunt. Ea vero, quæ sunt ibi scripta secundum justitiam et non secundum præscientiam, dicuntur inde deleri; quæ vero secundum præscientiam ibi scripta sunt, nunquam inde delentur.

QUÆSTIO CCXLIV. Quæritur an illi quæ scripti sunt in libro vitæ secundum meritum, et non secundum præscientiam, scripti sint per dispositionem. Solutio. Potest dici quod scripti sunt per dispositionem propter meritum, non tamen simpliciter secundum dispositionem; quia si hoc esset, non possent inde deleri, cum tali determinatione potest dici per dispositionem propter meritum, quod Deus disposuit sicut omne bonum.

QUÆSTIO CCXLV. Quæritur qualiter sit intelligendum, quod dicitur de hac auctoritate: *Major serviet*

minori (Gen. xxv), hoc est de præscientia. Solutio. A Sensus est, hac Scriptura ostenditur quod Deus erat præscius futurorum.

QUÆSTIO CCXLVI. *Justitiam autem, quæ ex fide est*, etc. Quæritur quid sit justitiam esse ex fide. Solutio. Hoc est justitiam esse per gratiam, quia non solum ex gratia venit ad fidem, sed etiam post fidem gratia necessaria est, ut fides bonis operibus adimpleatur, quorum adimpletio justitia dicitur.

QUÆSTIO CCXLVII. Similiter quæritur quomodo sit illud intelligendum, quod de hac dicitur auctoritate, *Jacob dilexi, Esau odio habui* (Malach. i), hoc est de judicio. Solutio. Hac prophetia ostenditur impletum esse, quod fuerat Dei in præscientia. Nota, quod hæc auctoritas : *Jacob dilexi*, B *Esau odio habui*, potest exponi de æterna prædestinatione unius, et de reprobatione alterius, vel de temporali gratia appositione, vel ejusdem subtractione : unde glossa illa, in Jacob nihil invenit diligendum, nisi misericordiae suæ donum, sic intelligitur, id est ex sola gratia Deus disposuit conferre Jacob gratiam in tempore unde salvaretur. Et illa glossa : In Esau nihil odiendum nisi originale peccatum, id est præscivit propter originale peccatum non esse conferendam Esau gratiam, per quam salvaretur in tempore.

QUÆSTIO CCXLVIII. Dicit aliquis : Quare propter originale peccatum gratia non est collata Esau, cum sit collata Jacob, licet peccatum originale habuerit? Solutio. Quia gratia eadem utique est proposita, sed Esau se gratiæ subtraxit : et oculum suum clausit, et Jacob gratia peccatum delevit, quia gratiæ cessit : eam trahentem secutus est, Deo omnia operante et disponente pro arbitrio justissimæ voluntatis suæ.

QUÆSTIO CCXLIX. *Ut ostenderet divitias gloriæ*, etc. Quæritur an tormenta malorum prosint bonis in futura vita? Solutio. Dicunt quod prosunt, quia nunquam sineret Deus mala esse, nisi aliquam utilitatem bono universitatis conferrent.

QUÆSTIO CCL. Quæritur quæ utilitas proveniat ex eo bonis, quod vident malos puniri. Nunquid ideo Deum amplius diligunt vel laudant; vel nunquid in pœna malorum, delectantur. Solutio. Non in pœna malorum, sed justitia Dei delectantur, et propria D gratia magis elucescit ex comparatione malorum, maxime cum vident se ab eisdem pœnis sola misericordia liberatos. Sed dicit aliquis : Licet mali non punirentur, nonne boni scirent se ab eisdem pœnis liberari sicut modo? Solutio. Forsitan non ita efficaciter, et in hoc ipso minus diligenter. Item si nullus damnandus esset, nonne Deus redderet bonis pro meritis suis? Et sic videtur, quamvis omnes salvi essent, non minus bonum esset, quam modo si imo amplius bonum esset; quia boni magis gauderunt de salute eorum tunc, quam modo faciant de eorum damnatione. Item boni in futuro aut compatientur malis, aut non compatientur; si compatientur, quomodo beati : si non compatientur. crudeles. Solutio.

Augustinus hanc quæstionem sic solvit : Magis bonum erat esse bona et mala, quam tantum bona, ut Deus laudaretur ex diversitate ipsa mirabilius.

QUÆSTIO CCLI. *Sectando legem justitiæ*, etc. Cum lex non justificet, quæritur quomodo dicatur lex justitiæ. Solutio. Quia quædam præparatio est ad justitiam, ideo lex justitiæ dicitur.

QUÆSTIO CCLII. *Offenderunt in lapidem offensionis* : de quo quia Dominus in Evangelio : *Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem vero ceciderit, conteret eum* (Matth. xxi), quæritur quid sit cadere super lapidem. Solutio. Deum offendere imprudenter, sicut conteri a lapide a Christo æternaliter puniri; unde petra scandali et lapis offensionis dictus est Christus, quia humilis, ideo habilis in quem offenderent superbi.

QUÆSTIO CCLIII. *Testimonium perhibeo, quia zelum, seu æmulationem Dei habent*, etc. (Rom. x). Quæritur an zelus iste bonus sit, et quid sit, et quis ejus effectus? Quod autem bonus sit, inde constat, quia Apostolus ad commendationem Judæorum hoc dicit, et expositores dicunt etiam, quod est dilectio Dei : sed si hoc esset, viderentur habere aliquid, quod esset dignum vita æterna; sed nonne digni erant morte, qui Christum occiderunt? Quomodo ergo zelum Dei, id est dilectionem habebant? Item si bonus erat, bonum habebat effectum, sed nonne ejus effectus erat, quod ex illo zelo fecerunt? Sed peccatum mortale hoc erat scilicet persecutio martyrum, et Christi occisio : quomodo ergo bonum malum efficiebat? Solutio. Zelus ille bonus fuit affectus in Deum, quo parati erant facere quod conscientia eorum dictabat esse faciendum propter Deum : non tamen erat tantus, ut eos faceret dignos vita æterna, nec charitas, nec dilectio Dei simpliciter debet dici : si tamen quandoque dilectio vocetur, hoc ideo fit, quia in Deum eum habebant : ejus autem effectus fuit non persecutio martyrum, vel mors Christi, sed vitatio contemptus Dei. Sic enim in arce erant positi, quod sive Christum occiderent sive non, mortaliter peccarent : non tamen si Christum non occiderent, in hoc ipso peccarent; sed quia non occidendo Deum contemnerent : sæpe enim per unum peccatum vitatur aliud.

QUÆSTIO CCLIV. Item Christum occidendo non faciebant contra conscientiam; imo illud, quod credebant esse faciendum propter Deum : quomodo ergo peccabant? Solutio. Licet contra conscientiam non facerent, tamen mortaliter peccabant, quia excæcati erant : fecerunt enim quod conscientia eorum deberet eis dictare non esse faciendum.

QUÆSTIO CCLV. *Suam justitiam volentes constituere*, etc. Quæritur quomodo justitia legis dicatur Judæorum. Solutio. Quia in hoc, quod credebant eam suis viribus adimplere, suam justitiam fecerunt, sed non secundum scientiam, id est non secundum bonum affectum illum exercebant, ut

judicio rationis erat exercendus, et in hoc erro-
bant.

QUÆSTIO CCLVI. *Finis legis Christus.* Quæritur quomodo Christus sit finis legis et consummatio, cum legis justitia sit sine gratia adjuvante, nec habebant apud Deum meritum. Solutio. Christus non dicitur finis, vel consummatio legis secundum hoc, quod a Judæis servabatur, sed quia spiritaliter eam in se, et in suis adimplet.

QUÆSTIO CCLVII. *Quæ autem ex fide est justitia, sic dicit: Ne dixeris, etc. In corde tuo quis ascendit in cælum, etc.* Quæritur quomodo Apostolus hanc auctoritatem induxerit: nam de Deuteronomio sumpta est ubi Moyses in alio sensu ea utitur: prohibebat enim Judæis ne dicerent. Quis ascendit in cælum, ut nobis legem afferret, vel quis mere transivit ut legem transportaret, vel quis descendit in infernum ut eam nobis educeret, quia verbum prope est in corde tuo, id est legem in præsentem habere. Solutio. Convenienter est inducta, licet Apostolus litteralem sensum Moysi hic per eam non exprimat: potest enim fieri, ut sicut Judæis ad litteram illud peccatum est, ita in eo figuraliter nobis sit præceptum, ne nos quæramus. Quis ascendit, etc., unde Apostolus sub tali sensu verba Moysi inducit, competenter etiam inducit de ea Moysen loquentem.

QUÆSTIO CCLVIII. Sed dicit aliquis: Si Moyses loquitur de justitia fidei in lege, videtur quod in lege fuerit justitia fidei, et sic lex vere justificabat. Solutio. Non sequitur, si in lege sit sermo de justitia fidei, quod ideo ipsa fuerit in lege, nec etiam recipiendum est quod Moyses loquatur de justitia fidei, nisi loqui pro significare accipiatur. Nam hoc dicendo figurat justitiam fidei prope, id est non longe a natura animorum; quia, ut dicit glossa, rationi consentaneum est credere.

QUÆSTIO CCLIX. *Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo.* Quæritur quomodo hoc sit verum. Nonne multa credimus, quæ ratio non cavit, unde scriptum est: *Fides non habet meritum, cui ratio humana præbet experimentum.* Solutio. Si quis consideret quomodo omnia de Christo prius in lege et prophetis prædicta sint, et quomodo impleta signis, et prodigiis approbata sint, quam verus, quam sanctus et pius, et quam potens in opere et sermone ipse in propria persona fuerit, quid restat, nisi ut proclamet: *Testimonia tua crebilia facta sunt nimis?* (Psal. xcii.) Et nullo modo ratio permittitur nec ad modicum dubitare: vel ideo rationi consentaneum dicitur; quia loqui, et credere de eo, quod ad salutem animæ attinet, ipsi rationi placet, imo hoc præ omnibus appetit.

QUÆSTIO CCLX. *Corde creditur ad justitiam.* Dicit glossa quod cætera potest homo nolens; credere autem non potest nisi volens. Sed hoc quomodo verum est? Nonne sperare, et diligere nemo potest nisi volens? Quomodo ergo dicit, cætera potest etiam nolens, cum hæc sint alia, quam credere? Solutio. Per cætera intelligit exteriora. Sed iterum videtur

A falsum quod exteriora faciat aliquis nolens: si enim nullo modo vellet, quomodo faceret? Solutio. Velle, ponitur pro approbaret: sæpe enim multa facimus quæ non approbamus.

QUÆSTIO CCLXI. *Omnis enim quicumque invocaverit.* Quæritur quomodo hoc sit verum, cum multi invocant, nec tamen salvantur, unde Dominus ait: *Non omnis, qui dicit, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum* (Matth. vii). Nonne hoc dicere, est nomen Domini invocare? Solutio. Invocare est intus vocare, id est ad honorem Dei et propter Deum vel desiderare notitiam, quod non fit sine fide, spe et charitate.

QUÆSTIO CCLXII. *Non possunt credere, quia prædixerat Isaias, etc.* Quæritur de hac prophetia, an propheta voluerit impleri quæ dixit? Quod si voluit, videtur voluisse ut excæcatio Judæorum fieret: nam in excæcatione Judæorum adimpleta est prophetia. Solutio. Non est concedendum, quod vellet Judæos excæcari, quamvis voluit suam prophetiam adimpleri, sicut Christus voluit esse verum quod ait Petro: *Antequam gallus cantet, ter me negabis* (Matth. xxvi): non tamen voluit Petrum negare: multa enim sic conjuncta sunt, ut unum non possit fieri sine altero, tamen possumus velle unum sine altero.

QUÆSTIO CCLXIII. *Domine, quis credit auditui nostro, etc.* Legitur in Evangelio de Judæis, qui non crediderunt, ut sermo Isaie impleretur (Joan xii): unde sic obijciunt: Quæ culpa Judæorum, quod non crediderunt, cum necesse esset prophetiam impleri, et sic necesse fuit eos non credere? Solutio. Deus prædixit per prophetam peccata Judæorum, sed non fecit: non enim præscientia eorum infert eis necessitatem, secundum illud, ut cum dicitur, non crediderunt, ut sermo, etc., tantum notat quod illa prophetia impleta est in cæcitate Judæorum, et quod ipsa est prædicta antequam impleta.

QUÆSTIO CCLXIV. Quæritur quomodo Judæi non credendo in Christum peccaverunt, cum scriptum sit: *Propterea poterant credere non quia dixit Isaias: Deus excæcavit oculos eorum, et induravit cor* (ibid.), vel si peccaverunt non credendo in Christum, ergo poterant credere, et non crediderunt: et si hoc est, quomodo hoc verum est? Propterea non poterant credere quia Deus excæcavit, etc. Quomodo simul verum poterant credere et non poterant credere? Item videtur penes Deum causam incredulitatis eorum constituere, dicens: Propterea non poterant, quia dixit Isaias: Deus excæcavit oculos, etc. Solutio. Verum est quod non poterant credere, sicut dicit Evangelium, et tamen non credendo peccaverunt; quia ad illam impossibilitatem ex vitio propriæ voluntatis pervenerunt, et ideo talis impossibilitas non habet excusationem. Verum est ergo utrumque, quod non poterant credere, et quod poterant credere, sed non secundum idem: poterant natura, et non poterant culpa: tales enim facti sunt, ut haberent possibilitatem non solum credendi, sed etiam Deum

facie ad faciem videndi : et ideo dicitur, quod poterant natura credere ; sed quia per culpam tales effecti sunt, quod justum erat apud Deum non misereri eis, ideo dictum est, quod culpa non poterant credere. Consimilis locutio habetur de angelis bonis : et quod mutabiles natura, immutabiles gratia sunt ; hoc autem, quod dicitur, Deus excæcavit, etc., sic intelligendum est, id est permisit excæcari non impertiendo malitiam qua fierent deteriores, sed non conferendo gratiam qua fierent meliores.

Notandum est, quod dicitur. Credere non poterant, quia volebant : hæc expositio videtur esse nimis communis ; nam idem de omnibus, qui in peccatis ad mortem sunt, potest dici, unde secundum hanc expositionem nihil speciale de excæcatis dicitur. Solutio. Potest dici quod excæcati merentur, ut non velint credere, et ut Deus non misereatur eis : quod non faciunt omnes mortaliter peccantes. Similiter quod subditur : *Dum superbi*, etc., nimis communiter et simpliciter dici videtur : nam et hoc de omnibus generaliter dici potest. Solutio. Quia et dum causale accipiendum est : nam per superbiam, et cætera vitia merentur ut injustum sit, Deum eorum misereri.

QUÆSTIO CCLXV. Quæritur quomodo hæc prophetia sit inducta, nonne illis qui de præsentis statu erant, loquebatur, et tamen adhuc prophetia non erat adimpleta, et si hoc est, quomodo hac auctoritate arguit eos, qui tunc erant, de eo quod adhuc futurum erat, quomodo ad præsentis tunc pertinet. Nam hæc vis videtur esse probationis, quod omnes audierunt verbum Christi, qui in mundo erant, et ideo arguendi sunt, quasi audientes et non credentes. Item si prophetia nondum erat adimpleta, quomodo verbo temporis præteriti potest uti in sensu præsentis temporis ? si enim in sensu futuri temporis accipitur, ridicula esse videtur probatio Apostoli. Solutio. Præsentibus loquebatur, sed non propter præsentis tantum ; imo etiam propter omnes futuri status hanc prophetiam induxit, et bene illius temporis præsentis arguit, quia licet eorum tempore non erat prophetia adimpleta, erat tamen in eis inchoatum, quod prædixerat prophetia futurum. Nota quod quædam Scripturæ videntur velle, quod Israel non cognovit ; aliæ videntur velle, quod cognovit Christum, quæ videntur esse contrariæ : sed non sunt, quia de diversis intelliguntur. In illo enim populo erant quidam cognoscentes, alii non cognoscentes.

QUÆSTIO CCLXVI. *Si autem gratia, jam non ex operibus*, etc. (*Rom. xi*). Quæritur si totum ex gratia, quid ex meritis, vel si quod ex meritis, quomodo totum ex gratia, ? Solutio. Totum est ex gratia, licet aliquid sit ex meritis, quia ipsa merita sunt ex gratia. Videtur tamen quod ex meritis præcedentibus sit justitia, ut in Cornelio cujus oratio obtinuit hoc, ut prædicatione Petri converteretur, ut fidem susciperet : quæ fides est ex gratia, quare ex operibus est consecuta gratia. Solutio. Non est dicendum

A quod gratia vel justitia sit ex operibus ; quia hoc esset, quod ex operibus sine gratia justificaretur quis : quod esse non potest. Quod autem Cornelius oravit, ut fidem susciperet, hoc ex gratia præcedente fuit : pro qua etiam gratia major, utpote gratia justificans, est collata. Non enim sine omni gratia fuit, quando in unum Deum credidit et, ut dicunt doctores, fidem incarnationis habuit, sed nondum sciebat Verbum Dei incarnatum, quod postea Petri prædicatione cognovit. Nota, quod compunctio alia est invidiæ, qua quis compungitur et dolet, et alienis bonis tabescit : alia culpæ qua quis torquetur in propria conscientia, ut Judas, qui laqueo se suspendit pro scelere suo. Alia est compunctio gratiæ, qui vel inchoantium est, qui de malis pœnitent, ut abstineant, vel perfectorum, qui Deum ex dilectione verentur.

QUÆSTIO CCLXVII. Hoc, quod quærebat, Israel non est consecutus. Quæritur quomodo hoc sit verum : nonne exteriorem justitiam quæsit, sed illam obtinuit : ergo quod quærebat, hoc consecutus est. Solutio. Hoc ideo dicitur, quia fine, quo faciebant, caruerunt : volebant enim apud Deum reputari justis, quod eis non accidit.

QUÆSTIO CCLXVIII. *Ut non audiant usque ad hodiernum diem*. Quod Judæi hujus temporis excæcati sint, hoc plane habemus, et sancti in multis locis idipsum dicunt, persecutionem Christi excæcationis causam constituentes, et magis quod Jacobum justum occiderunt. Sed non videtur rationi consentaneum, quod ideo præsentis Judæi puniantur, cum scelera multis displiceant, quæ patres eorum commiserunt. Solutio. Non immerito etiam moderni Judæi excæcantur, quia si daretur facultas eis, quod patres eorum fecerunt Christo, idem et Christi membris facerent, etiamsi fieri posset ipsi capiti.

QUÆSTIO CCLXIX. *Ministerium meum honorificabo*, etc. Quæritur quid sit officium honorificare. Solutio. Ille ministerium suum honorificat, qui supra quam ex officio suo debeat impendit aliquid, ut Paulus, qui ex officio tantum gentibus prædicare debebat, plus fecit, etiam Judæis prædicando. Sed cum Paulus crederet aliquos ex Judæis sua prædicatione converti posse ad fidem, et sciret hoc pro Deo esse faciendum, si non faceret, peccaret : quapropter hoc facere debebat, quomodo ergo dicit se suum officium honorificare, cum et id debebat, quod superadditur ? Solutio. Aliud est officii debitum, aliud occasionis : supra debitum officii Paulus Judæis prædicabat, et sic ministerium honorificabat ; tamen debebat eis prædicare quantum ad debitum occasionis, cum sciret pro Deo esse faciendum.

QUÆSTIO CCLXX. *Si enim amissio eorum, reconciliatio est mundi*, etc. Quæritur quomodo infidelitas Judæorum, et excæcatio fuerit causa salutis gentium, nunquid gentes non salvarentur, nisi Judæi excæcarentur. Nonne Deus posset aliter gentes salvare ? Solutio. Infidelitas eorum non erat causa efficiens, quare gentes salvarentur, tamen ex eo quod

illi excæcati verbum prædicationis repulerunt, Apostoli occasionem acceperunt prædicandi gentibus, et sic secuta est salus gentium, Deo suam dispositionem implente per mala, de quibus elicit bonum affectum.

QUÆSTIO CCLXXI. *Si delibutio sancta, et massa; et sit radix sancta, et rami, etc.* Quæritur de hac consequentia, an sit vera? Nonne antecedens potest esse verum sine consequente, quomodo ergo consequentia vera? Solutio. Consequens utriusque hypotheticæ etsi simpliciter proferatur, non tamen simpliciter est intelligendum, sed cum tali determinatione naturaliter: etsi enim rami sint fracti, tamen naturaliter boni sunt: et illi pauci, qui conversi sunt ad fidem, si ita constantes fuerunt; patet quod illi qui in fine convertentur, erunt constantes.

QUÆSTIO CCLXXII. Sed cum gens Judæorum in Scripturis dicatur sæpe durissima, quomodo hic dicitur naturaliter sancta, quasi habens habilitatem sanctitatis? Solutio. De sanctitate, qua intelligitur inconstantia fidei agit Apostolus; non de habilitate, quam habent ad sanctitatem.

QUÆSTIO CCLXXIII. Quæri potest quid est delibutio? Respondetur. Gustus particulæ alicujus rei ad experimentum totius massæ. Massa autem est multitudo convertendorum post mortem Antichristi. Judæi naturales rami dicti sunt; quia de patriarchis nati, in quibus origo fidei fuit, et de quibus Christus natus est secundum carnem. Nota quod natura dicitur consuetus cursus naturæ, contra quem Deus sæpe operatur. Dicitur etiam quandoque natura divina dispositio, contra quam nihil facit Deus; sed omnia juxta eam agit.

QUÆSTIO CCLXXIV. *Sine enim pœnitentia, id est sine mutatione sunt donum, et vocatio Dei.* Mutat quandoque Deus sententiam, sed non consilium. Quid est mutare sententiam? aliquid agere, quod non videbatur acturus; vel non agere, quod videbatur acturus.

QUÆSTIO CCLXXV. Dicit expositor quod mali, dum faciunt contra voluntatem Dei, ab eis impletur voluntas Dei: sed si ab eis impletur voluntas Dei, nonne implent ipsi voluntatem Dei? et si hoc est, quomodo contra voluntatem Dei faciunt? Solutio. Voluntas dicitur duobus modis, præceptio Dei, et ipsius dispositio. Dum ergo faciunt contra præceptum Dei faciunt quod disposuit Deus fieri: sæpe enim bona per malos fiunt; semper autem ex malis, quæ mali faciunt, Deus aliquid boni elicit.

QUÆSTIO CCLXXVI. *Qui audit Patrem, venit ad Filium* Nemo enim venit ad Filium, nisi Pater traxerit eum (Joan. vi). Quæritur ergo quid sit Patrem trahere ad Filium? Solutio, Ex dispositione quæ est ex Patre ad Filii cognitionem venire, ut ab eo salvetur: Pater trahit ad Filium, cum Pater revelat Filium esse æqualem sibi.

QUÆSTIO CCLXXVII. *Omniam conclusit Deus sub peccato ut omnium misereatur.* Quæritur quomodo hoc sit intelligendum: nonne concludit sub peccato malum est? quomodo Deus hoc facit, vel quomodo

A hoc causa est boni? Solutio. Deus conclusit omnia peccato, id est, permisit concludi, et hæc est occasio boni, non causa efficiens.

QUÆSTIO CCLXXVIII. Quæritur an hos modo potius quam alio Deus sit operatus salutem nostram. scilicet concludendo omnia sub peccato? Solutio. Sic placuit Deo, ut videntes se non posse justificari humiliarentur, et gratiam quærerent, et sic totum Deo ascriberent. *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, etc.* Solet hic distingui triplex genus causarum. Aliæ sunt formales, aliæ sunt judiciales, aliæ finales, aliæ secundum quas aliæ per quas, aliæ propter quas res fiunt. Per judicia causæ judiciales; per consilia, causæ finales; per quas formales, vel per sapientiam et scientiam formales.

QUÆSTIO CCLXXIX. De superiore exclamatione solet quæri. Videtur enim minus consulte Apostolus exclamare de excæcatione Judæorum et introitu gentium, dicens: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei!* cum ipse super hoc sciret reddere causam, unde dicit: *Nolo vos ignorare mysterium (ibid.), etc.,* et postea subdit: *Conclusit Deus omnia sub peccato ut omnium misereatur (ibid.).* Quod si ideo exclamat, quia sub hoc perfecte humana intelligentia rationem reddere non sufficit, simili ratione de aliis multis exclamandum erat? Solutio. Potius de illo quam de alio exclamat, quia citius ibi in reddendis rationibus erratur, et peccatur ad mortem.

C QUÆSTIO CCLXXX. *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* Quæritur an peccata in quantum sunt sint a Deo: si enim omnia, ergo peccata, vel peccata non sunt de numero omnium. Nonnulli dicunt, quod peccata in quantum sunt, habent esse a Deo. Sed Augustinus de natura boni dicit, tantum ea, quæ sunt naturaliter, debere intelligi, cum dicitur omnia esse ex Deo, non peccata, quæ naturam corrumpunt, non ergo peccata sunt ex Deo aliquo modo.

QUÆSTIO CCLXXXI. Quæritur an omnia quæ habent esse ex Deo, debeant dici esse de Deo. Solutio. Sola ea quæ habent esse de substantia Dei, debent dici de Deo ut Filius, et Spiritus sanctus sic sunt ex Deo Patre, quod de ipso, quia de essentia ejus sunt ei consubstantiales. Creaturæ vero sunt ex Deo, non de substantia Dei, sed de nihilo. Nota, quod per triplicem præpositionem scilicet ex, per, in, hic insinuat trinitas personarum, per idem pronomen identitas naturæ significatur, quæ tota est in singulis personis: dicens enim, ex quo, intelligit Patrem, per quem, Filium; in quo, Spiritum sanctum.

D QUÆSTIO CCLXXXII. Quæritur autem quomodo per hoc, quod dicit, ex quo omnia, intelligit Patrem, cum sicut omnia sunt ex Patre, sic ex Filio et Spiritu sancto? Solutio. Propter auctoritatem principii, quia sic omnia habent ex Patre esse, quod ipse non habet ex alio; Filius autem, et Spiritus sanctus licet sint unum principium omnium creaturarum, habent tamen principium, sive auctorem ipsum Pa-

trem, a quo habent esse : et hoc ipsum, quod sunt principium omnium, a Patre habent, sicut omnia alia quæ possident. Dicit expositor in Trinitate esse summam omnium originem, perfectissimam pulchritudinem, beatissimam delectationem, originem ad Patrem, pulchritudinem ad Filium, delectationem ad Spiritum sanctum referens : et sic hæc tria origo, pulchritudo et delectatio sunt determinata, quia determinate singula ad singulas personas, ut jam dictum est, referuntur. Sed quia rursus tota Trinitas omnium rerum summa origo, perfectissima pulchritudo, beatissima delectatio est, eadem tria dicuntur infinita. Et hoc est, ut arbitrator, quod dicitur, quod prædicta tria et a se invicem sunt determinata, et in se sunt infinita.

QUÆSTIO CCLXXXIII. Item dicitur in Patre unitas, in Filio æqualitas, in Spiritu sancto unitatis et æqualitatis concordia : sed cum eadem unitas, et æqualitas et concordia sit trium, quæritur quare dicatur unitas in Patre, et æqualitas in Filio, et in Spiritu sancto concordia? Solutio. Salva secretorum reverentia dicimus, quod in Patre ideo dicitur unitas, quia sicut unitas est principium numerorum, sed ipsa non habet esse ab alio numero, sic et Pater, cum sit omnium causa, non habet causam. Æqualitas vero dicitur esse in Filio, quia in eo est prima distinctio, et discretio, et prima pluralitas, et secunda personalis unitas, quæ ut ostendatur indifferens, et indispar ab ipso Patre, nomine æqualitatis non inconvenienter signatur, in quo declaratur qui sic Filius habet esse a solo Patre, quod nec Pater est, nec diversus ab eo in natura, sed in omnibus æqualis et consubstantialis illi. Spiritus sanctus vero ideo unitatis et æqualitatis concordia vocatur, ut insinuetur sic Spiritus sanctus esse ab utroque, quod utrique est æqualis, hoc dico salva fide catholica, quorum verborum occultam intelligentiam mallet ab alio audire, quam aliquid de tenuitate mea super his dicere.

QUÆSTIO CCLXXXIV. Item legitur : Omnia unum propter Patrem, omnia æqualia propter Filium, omnia connexa propter Spiritum sanctum. Quæritur ergo quomodo hæc verba sint intelligenda? Nonne eadem unitate unum sunt tres personæ, vel æqualitate æquales, vel concordia concordantes? Solutio. Omnia sunt unum propter Patrem, id est tres personæ unum sunt, naturalem unitatem eandem habentes, quæ solet referri ad Patrem, licet sit communis tribus personis : simili modo intelligendum est de æqualitate et concordia : æquales enim sunt tres personæ propter ineffabilem et naturalem æqualitatem, quam habent sic connexi. In creaturis præluet vestigium Trinitatis, quia ostendunt in se unitatem, et speciem, et ordinem tenere, quia unumquodque et unum aliquid est, et aliqua specie formatur, et aliquem ordinem tenet, unde dictum est : *Omnia fecit in numero, et pondere, et mensura* (Sap. xi). Numerus enim ad unitatem, pondus ad ordinem, mensura ad speciem pertinet, De quoli-

bet enim verum est, quod ex quo incipit esse, statim cadit sub numerum quia vel unum est, vel plura. Pondus ad ordinem ideo dicitur pertinere ; quia singula ordinem tenent secundum naturam ponderis. Duo enim sunt genera ponderum : unum, quod tendit deorsum, ut natura plumbi ; alterum quod tendit sursum, ut oleum. Item ordo consideratur secundum locum et tempus : unde et angeli secundum affectiones et delectationes [dilectiones.] majores vel minores ordines suos sortiuntur ; species vero rerum, quod quidam modus est earum, et mensura.

QUÆSTIO CCLXXXV. Quæritur item an Spiritus sanctus a se procedat, vel mittatur sicut a Patre et Filio. Solutio. Duplex est processio, vel missio Spiritus sancti, æterna et temporis : secundum æternam processionem tantum a Patre et Filio, non a se procedit ; temporaliter etiam a seipso procedit, quia temporalis ejus processio Trinitatis est operatio. Eodem modo intelligendum est de temporali Fili processionem vel missione. Sicut enim semetipsum pro nobis sanctificavit et non tradidit, sic et semetipsum misit, id est suam missionem vel incarnationem (quod idem est operatus est). Æterna autem processio Filii a Patre, non missio, sed generatio debet dici.

QUÆSTIO CCLXXXVI. Quæritur præterea quomodo Spiritus sanctus sit amor, quo Pater diligit Filium, et Filius Patrem. Nonne idem est Patri diligere, et esse, et eo quo habet esse, et diligere? Si ergo Pater diligit Spiritu sancto, quomodo non habet esse a Spiritu sancto? Solutio. Non dicitur, quod Pater diligat Spiritu sancto, sed quod Spiritus sanctus sit amor, quo Pater diligit Filium ; quia Spiritus sanctus est natura divina, et Pater diligit divina natura ; si autem hoc termino, amor quo Pater diligit Filium, significetur personale idioma, non est verum quod Spiritus sanctus sit amor, quo Pater diligit, sicut Spiritus sanctus non est Pater.

QUÆSTIO CCLXXXVII. Dicit Hilarius : Sicut impium est duos deos prædicare Patrem et Filium, ita Deum singularem prædicare, sacrilegum est. Item dicit expositor, secundum substantiam singulariter uni, de Trinitate loquens, quod videtur esse contrarium. Solutio. Singularitas aliquando excludit pluralitatem personarum, et secundum hoc sacrilegum est Patrem, et Filium Deum singularem prædicare. Quandoque singularitas ponitur pro unitate, et sic accipitur, cum dicitur secundum substantiam singulariter uni.

QUÆSTIO CCLXXXVIII. *Non plus sapere, quam oportet sapere, etc.* (Rom. xii.) Quæritur quis plus sapit quam oportet. Nemo enim tantam in hac vita habet cognitionem, quin majorem habere possit, et quin etiam plus desiderare debeat : quomodo ergo præcipit Apostolus, non plus sapere quam oportet sapere, quasi quis possit investigando de Deo plus comprehendere quam sit necesse? Solutio. Inves-

tigationem veritatis non prohibet Apostolus, sed ne quis per investigationem nimiam incidat in dubitationem eorum, quæ firmiter et indubitanter credi oportet. Vel ne quis sibi, quod sapit, superba præsumptione ascribat, quod est ex scientia superbire : hoc enim non est sapere, sed desipere.

QUÆSTIO CCLXXXIX. *Qui miseretur in hilaritate, etc.* Quæritur ergo an Deus aliquem puniat sine misericordia, hoc est, tantum puniat quos punit, quantum puniri meruerunt. Quod videtur, quia *judiciam sine misericordia ei, qui non facit misericordiam* (Jac. II). Sed iterum est scriptum : *Univerſæ viæ Domini misericordia, et veritas* (Psal. XLII). Unde videtur, quod nec etiam malos puniat sine misericordia, juxta illud : *Nec accendit omnem iram suam* (Psal. LXXVII), id est non punivit eos quantum meruerunt ; quia plus juste si vellet. Solutio. Neminem punit Deus sine misericordia, quia nullum punit quantum promeruit, et tamen iudicium sine misericordia ei, qui non miseretur, quia non amplius corrigitur ad hoc ut vitam æternam consequatur. Est itaque verum, quod sicut bonis plus boni ex gratia conferet Deus in futuro quam meruerunt, sic malis minus mali quam meruerunt, et in utroque justus et misericors est Deus.

QUÆSTIO CCXC. Quæritur cur potius, iudicium sine misericordia, etc., dicat de hoc quam de alio, cum de quolibet criminali hoc dici posset. Solutio. Ideo de isto dictum intellige, quia sunt multi in hunc errorem lapsi : quod credunt sibi sufficere ad consequendam vitam æternam, aliis non nocere, et a malo declinare, quamvis sua pauperibus non largiantur, vel opera misericordiæ non exhibeant : quem errorem hic patenter reprimit Apostolus.

QUÆSTIO CCXCI. *Gaudete cum gaudentibus, etc.* Quæritur utrum gaudendum sit de temporali prosperitate, ut de abundantia divitiarum alicujus. Solutio. Cum dentur bonis et malis, et sæpius malis quam bonis, non videtur esse gaudendum si dentur alicui ; nec dolendum, si auferantur : Deus autem semper in donis suis laudandus est.

QUÆSTIO CCXCII. *Flete cum flentibus, etc.* Quæritur de fletu, quem præcepit Apostolus, an rationalis est, cum de adversis quæ bonis vel malis contingunt, potius gaudendum sit quam dolendum ? Sunt enim adversa vel ad majorem coronam bonis, vel ad correctionem malis. Legitur etiam quod imprudenter flebant de morte martyrum, cum potius esset gaudendum quam flendum, si rationem vis doloris admitteret. Solutio. Alius fletus est pietatis, alius compassionis : ille, qui pietatis est, quasi naturæ est, et secundum quosdam non meretur ; ille vero, qui compassionis est, meretur. Compati enim debemus infirmitatibus fratrum, ut illos lucremur, quorum salutem desiderare debemus, et operam dare ut salventur.

QUÆSTIO CCXCIII. *Nulli malum pro malo reddentes, et diligite inimicos.* Quæritur quomodo sancti non reddant malum pro malo, cum scriptum sit :

Clamant sancti : Vindica, Domine, sanguinem nostrum (Apoc. VI). Et illud : *Lætabitur justus cum viderit vindictam* (Psal. XXXVII) ; ergo cum æque boni et mali volunt se vindicari a Domino in quo discernuntur. Solutio. Boni non lætantur de pœna sicut mali, sed de iudicio Dei.

QUÆSTIO CCXCIV. Quæritur utrum Christus observet quod Apostolus omnibus supra præcepit, ut nullis malum pro malo reddat. Volunt sic probare, quod Christus non observet. Malus meruit malum pro malo reddi sibi : nisi ergo reddat illi malum Deus, non reddet ei, quod promeretur. Item aliquid reddit ei Deus pro malo ergo bonum vel malum ; si non malum ergo bonum, et sic malum meruit bonum. Item, nonne Deus reddit pœnam pro culpa, et sic malum pro malo ? Solutio. Nec bonus iudex, nec Deus malum reddit pro malo ; quia hoc esset, quod mala intentione vindictam exerceret : unde diligenter cavendum est ne hoc in prædictis omnibus inferatur.

QUÆSTIO CCXCV. Quæritur an ex dictis justitia, qua aliquis suspenditur pro furto, et hujusmodi sit Evangelii. Quod videtur, cum Ecclesia tradet eum principi, et omnis justitia Ecclesiæ esse debeat, quod ibi docetur. *Eccce duo gladii hic* (Luc. XXI). Quod si Ecclesiæ est, ut videtur, quomodo negari potest, quin justitia Evangelii gravior sit justitia legis, cum lege præceptum sit *dentem pro dente, oculum pro oculo* (Matth. V) ; hic autem caput hominis pro capra detur. Solutio. Hæc nullo modo justitia Evangelii est, ut homo pro equo vel bove occidatur, nec in toto Evangelio hoc præceptum invenitur, nec id facit, sed tantum permittit Ecclesia.

QUÆSTIO CCXCVI. *Providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus, etc.* Quæritur quid sit providere bona coram Deo. Solutio. In cordis secreto, id est facere ea quæ conscientia dictat facienda esse pro Deo.

QUÆSTIO CCXCVII. Sed cum Deus requirat a nobis ut etiam bona coram hominibus provideamus, quomodo dividit inter hoc et illud. Solutio. Sensus est Præcipit Apostolus ut etiam bona faciamus ita circumspecte, ut infirmi non scandalizentur, sed bonum exemplum proficiendi accipiant, et in hoc ipso reprimit quorundam superbam præsumptionem, qui non curant de scandalis infirmorum, considerantes tantum quid liceat, non quid expediat

QUÆSTIO CCXCVIII. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, etc.* In lege scriptum est : *Diliges amicum, et odio habebis inimicum* (ibid.). Quod videtur esse, illi præcepto contrarium : *Diligite inimicos vestros* (ibid.), et huic : *Si esurierit inimicus, ciba illum*. Solutio. Non est præceptum in lege habere inimicos odio, sed permissio, et est secundum quosdam consilium, non præceptum diligere inimicos in Evangelio, et sic nulla est contrarietas. Quod intelligens David ait : *Si reddidi retribuētibus mihi*

mala, decidam merito ab inimicis meis inanis A
(Psal. vii).

QUÆSTIO CCXCIX. *Non est potestas nisi a Deo,*
etc. (Rom. xiii.) De potestate honorum constat,
quod sit a Deo, de potestate malorum quæritur an
sit a Deo. Si est a Deo, bona est, quia Deus auctor
tantum honorum; sed malorum potestas quomo-
do bona, cum per ea fiant mala, quæ etiam dici-
tur iniqua et injusta sæpe in Scriptura. Contra,
quod malorum potestas sit a Deo Scriptura testa-
tur quomodo ergo mala? Solutio. Malorum potes-
tas bona est, et a Deo; sed tamen dicitur mala pro
malitia ab utentium ea, sicut lex quidem bona,
sed tamen occasio mali, et lux solis, et multa si-
milia.

QUÆSTIO CCC. Quæritur quid vocet potestatem.
Solutio. Dicunt quidam, quod Dei ordinationem,
ex qua quidem aliis præesse habent. Alii dicunt,
quod ipsas personas in sublimitate constitutas
ut reges, et principes, quibus obediendum est in
omnibus, quæ ad potestatem pertinent. Si autem
aliquid percipiunt, quod si contra Deum, non sunt
audiendi.

QUÆSTIO CCCI. Quæritur an potestas peccandi sit
a Deo. Quod sic probatur: Potestas Pilati, qua po-
tuit crucifigere Salvatorem, erat a Deo, sicut ha-
betur in Evangelio (Joan. xix): ergo potestas pec-
candi est a Deo. Item, contra Deus ex eo quod
est omnipotens non potest peccare: ergo posse
peccare non est posse, nec potentia peccandi est
potentia, sed impotentia. Solutio. Potentia pec-
candi dicitur quædam: vis faciendi aliquid, quod
non potest fieri sine peccato, vel quædam digni-
tas, ex qua licite aliquid potest facere id quod non
fit sine peccato: ut potestas Pilati bona quidem
fuit, scilicet ex Deo: ex qua habuit potestatem
crucifigere Christum, sicut ex regia potestate po-
test aliquid exercere tyrannidem, et sub specie po-
testatis ordinatæ in subditos sævire: non tamen
Christum crucifigere, vel tyrannidem exercere po-
tentia est, sed potius impotentia, quæ sæpe poten-
tia peccandi vocatur, quæ inest ex defectu, vel ter-
mino boni: quæ etiam si in primo homine ante
peccatum fuit.

QUÆSTIO CCCII. *Qui diligit proximum, legem*
implevit, etc. Quæritur an dilectio proximi, et di-
lectio Dei sint eadem. Si non sunt eadem, quomodo
dilectio proximi est plenitudo legis? quomodo tota
lex restauratur in dilectione proximi? quomodo
tria præcepta primæ tabulæ ad Deum pertinentia
implentur dilectione proximi? Item, si eadem est
hæc et illa, cur divisim aliud præceptum datum
est de dilectione Dei, et aliud de dilectione proxi-
mi? Solutio. Dilectio nomen est virtutis, et sic po-
test dici, quod eadem est dilectio, qua diligimus
Deum et proximum, et est nomen motus mentis, et
sic alia est dilectio Dei, alia proximi, et major est
dilectio Dei, et minor dilectio proximi, cum di-
lectio Dei in dilectione proximi contineatur: qui
enim Deum diligit consequens est, ut proximum
diligat, et e diverso; ideoque alterum pro utroque

A mandato ponitur. Est enim dilectio proximi motus
mentis in proximum propter Deum: ergo quomo-
do potest esse dilectio proximi sine dilectione Dei?
Est enim dilectio proximi materia quædam in qua
exercetur dilectio Dei, quæ amplius latet, cujus af-
fectus in dilectione proximi apparet. Dilectio Dei
est motus mentis in Deum propter ipsum.

QUÆSTIO CCCIII. Sed cum dilectio Dei sit dignior,
quam dilectio proximi, quare Apostolus potius
commemoravit dilectionem proximi, quam dilec-
tionem Dei, dicens ipsam esse legis impletionem?
Solutio. Quia dilectio proximi in vita quotidiana
et moribus magis apparet.

QUÆSTIO CCCIV. Quæritur an dilectio proximi
possit esse sine dilectione Dei. Quod videtur, quia
aliquis potest diligere proximum non propter
Deum, sed propter aliquid aliud. Solutio. Non est
concedendum, quod aliquid diligat proximum,
nisi diligat eum propter Deum: aliter enim diligere
non est diligere, sed potius odire; quia *qui diligit*
iniquitatem, odit animam suam (Psal. x); et sic
nec alium diligit, qui se odit.

QUÆSTIO CCCV. Quæritur item an debeamus dili-
gere mutuo propter vitam æternam; quod si con-
ceditur videtur, quod faciamus propter commo-
dum nostrum, et sic sumus mercenarii. Dicit enim
Ambrosius, qui spe et desiderio cælestis patriæ
servit, mercenarius est. Solutio. Propter vitam
æternam diligendus est proximus, nec ideo aliquid
præfertur Deo, quia ipse est vita æterna: et in
ipso non est aliquid extra ipsum præter ipsum,
ideoque verba prædicta Ambrosii a suo loco exten-
dere non convenit; quia contra usum Ecclesiæ
sonare videntur: videtur tamen hoc insinuare,
quod si quis cogitans, vitam æternam aliquid
seorsum præter Deum esse, bona faceret, suum
attendens commodum tantum, non quia Deus hoc
vellet fieri, mercenarius dicendus esset.

QUÆSTIO CCCVI. Quæritur an omnes æqualiter
diligendi sint. Solutio. Dicunt quidam, quod secun-
dum affectum æqualiter omnes diligendi sunt, sed
non secundum affectum, imo alii plus, alii minus,
juxta hoc quod scriptum est: *Ordinavit in me*
charitatem (Cant. ii). Aliis videtur quod etiam se-
cundum affectum alii aliis præferendi sunt, ut me-
liores minus bonis, et parentes alienis. Ordinatur
itaque charitas secundum affectum et effectum:
quod pluribus modis fieri potest, quandoque de-
bet esse impar affectus, quandoque par affectus,
et impar effectus, et e converso.

QUÆSTIO CCCVII. Quæritur ubi sit datum præcep-
tum, vel doctrina qualiter homo seipsum debeat
diligere. Solutio. Quando homo docetur qualiter
Deus sit diligendus, in hoc ipso docetur qualiter
homo seipsum debeat diligere. Quid est enim se
diligere, nisi bonum suum amare? sed quod est
bonum hominis, nisi Deus? Qui ergo diligit Deum,
in hoc ipso diligit seipsum; et in quantum diligit
Deum, in tantum diligit seipsum.

QUÆSTIO CCCVIII. Quæritur an homo debeat tantum diligere proximum, quantum seipsum. Quia scriptum est: *Diliges proximum tuum sicut teipsum (Matth. xii)*. Solutio. Sicut similitudinem notat, non quantitatem, secundum quosdam, cum dicitur: *Dilige proximum tuum sicut teipsum*, id est ad quod teipsum, id est ad hoc, ut habeat Deum, et quantum potes operam da, ut illa faciat, per quæ salvetur. Quæ autem in superioribus de charitate jam dicta sunt, non oportet repetere. Non enim omnia ubique vel possunt, vel debent dici.

QUÆSTIO CCCIX. *Infirmus autem fide*, etc. Quæritur quomodo infirmum accipiat. Solutio. Non secundum constantiam, sed secundum cognitionem fidei hic intelligit infirmum.

QUÆSTIO CCCX. *Qui infirmus est, solus manducet. Unusquisque autem in suo sensu abundet*. Quæritur quomodo Apostolus suadeat illum, qui cibos discernit sibi esse derelinquendum, cum malum sit cibos discernere, et hunc mundum, et hunc immundum putare, cum potius a tali errore esset retrahendum, hoc enim ei concedere videtur, cum hoc sit eum in errore fovere. Solutio. Permittit minus malum fieri ut majus malum devitetur; majus enim malum esset contra conscientiam edere, quam cibis quibusdam abstinere, cum ab eis abstinendum esse putet: quisquis enim contra conscientiam facit, peccat.

QUÆSTIO CCCXI. Quæritur utrum ille, qui sic cibos discernit, peccet. Nonne vivit secundum doctrinam Apostoli? si et hoc est, quomodo peccat? Solutio. Non hic docet Apostolus quod tanquam bonum sit agendum, sed quod minus malum sit, ostendit: minus enim malum est bono zelo errare, quam contra conscientiam manifeste peccare: quare ne majus peccatum incurrat, ferendus est potius quam irritandus. Sunt autem quædam quæ etiam in Novo Testamento prohibentur, ut ne quis sanguine animalium vescatur, vel suffocatis utatur. A quibusdam etiam abstinemus, quia non est necesse eis uti, ut a carne equina, non quia æque bona esset ad vescendum, ut bovina; sed quia opus non est. A quibusdam abstinemus, quia noxia sunt ut serpens, bufo et hujusmodi: quæ quidem venenosa sunt, ideo vescentes interimentia.

QUÆSTIO CCCXII. Quæritur quomodo cibos discernere. Nunquid aliquam immunditiam in his magis quam in illis constituebant, propter quam eis vesci recusarent? Si hoc est: culpam mediante creatura in Deum refundebant, et sic peccabant ad mortem. Quod si ad mortem peccabant, qualiter jubet Apostolus eos in morte tolerari? Solutio. Errabant et peccabant, sed venialiter, non ad mortem, non enim ideo a cibis quibusdam abstinere, quod crederent aliquam immunditiam illis inesse, sed quia sub lege positi abstinere ab eis consueverant, grave illis consuetudinem deponere.

QUÆSTIO CCCXIII. Quæritur ad quos spectet quod hic dicit Apostolus. Solutio. Ad prælatos videtur pertinere quod dicit. *Infirmum autem suscipite* [as-

sumite] (*Rom. xiv*). Item quædam videtur dicere in hoc capitulo quæ ad infirmos pertinere videntur, ut illud: *Qui non manducat, manducantem non spernat, et qui manducat, manducantem non judicet (ibid.)*: his enim verbis infirmos instruere videtur.

QUÆSTIO CCCXIV. *Suo Domino stat, aut cadit*. Videtur Apostolus, cum id dicit, omne iudicium de bono nobis auferre: nam, cum ex intentione et sola charitate homo sit bonus, quæ hominis iudicio non subjacent, quomodo possumus aliquem bonum iudicare? Solutio. Ecclesia de manifestis tantum iudicat, et non de occultis: non enim iudicat quod charitas in aliquo sit, quia tunc iudicaret esse, quod nesciret esse, sed quod signa charitatis, quæ in eo sint, ostendunt in eo esse charitatem. Similiter, cum iudicat, vel condemnat aliquem, non iudicat quod criminis, de quo accusatur, reus sit, sed quod ei signa in accusatione ejus concurrunt, propter quæ in eum justam dat sententiam. Si obijciatur quod testes falsi sint, quibus convincitur, et accusatio falsa, quia de crimine sibi imposito non tenetur, dicimus quod accusatio vera et testes veri sunt, etsi criminis illius reus non sit; quia vera dicitur accusatio, id est irreprehensibilis, cum fiat ordine iudiciario. Similiter dicimus quod Ecclesia damnat reum, licet crimen in eo non sit super quo accusatur, quia reum ibi convictum iudiciario ordine accipimus.

QUÆSTIO CCCXV. Dubia in meliorem partem vertenda sunt, ut dicit expositor. Quæritur ergo quomodo ambigua debemus in meliorem partem vertere: nam cum æque ambigo de bono, an ipsum sit bonum, sicut de malo, an sit malum, non minus indiscrete agere videor iudicando illud esse bonum, quam iudicando esse malum; sed cum neutrum sit mihi definitum et certum, neutrum debeo definire: quomodo ergo intelligere debemus quod dicitur, ambigua in meliorem partem vertere? Solutio. Credere, iudicare vel vertere, accipitur hic pro optare: hoc enim consulit Apostolus ut cum ambigua fieri videmus, ea bona intentione, et non mala fieri optemus: nam qua intentione fiant, cum id a nobis sciri non possit, non debemus iudicare quod scire non possumus.

QUÆSTIO CCCXVI. Item expositor dicit: Qui malum putat malum, fallitur; sed qui malum putat bonum, non fallitur: nonne malum, esse malum est verum? et malum esse bonum, est falsum? Quomodo ergo qui putat id quod verum est fallitur, et qui putat id quod falsum est non fallitur? Solutio. Sine præiudicio melioris sententiæ dicimus hoc esse sic intelligendum: Qui malum putat esse malum, fallitur, a cursu suo tardatur, quia eum contemnit et spernit, vel saltem eum minus diligit. Qui autem malum putat bonum, non fallitur, id est in via morum non offenditur, nec tardatur, quia in eo quod credit eum bonum, amplius eum diligit, et sic quodammodo errando proficit. Notandum quod sunt quædam manifeste bona, quædam manifeste mala

de quibus judicare licet, etsi nesciamus quo animo fiant. Sunt autem et media, quæ bona et mala esse possunt, de quibus judicare periculosum est, et a Domino prohibitum : et hæc in meliorem partem debemus vertere, ut dicit beatus Hieronymus : Si vides sacerdotem super mulierem manum levantem, dic quod ad benedicendum hoc facit. Quæ auctoritas juxta superiorem expositionem intelligenda est. De bonis tamen manifestis raro judicare possumus, cum pene nulla justus facere possit, quæ non faciat malus, ut miracula, signa, et hujusmodi. Jejunat, orat, et cætera hujusmodi, quæ signa sunt boni. *Unusquisque in sensu suo abundet (ibid.)*, id est permittatur in conscientia sua, si non est ad mortem, ne gravius peccet ab ea revocatus.

QUÆSTIO CCCXVII. *Omnes stabimus ante tribunal Christi, etc.* Quæritur quomodo Apostolus dicat : *Stabimus omnes, cum alibi scriptum legatur : Sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (Matth. xix)*. Si sancti in ora judicii sedebunt, quomodo stabunt ? vel si stabunt, quomodo sedebunt ? Solutio. Stare dicuntur pro reverentia summi judicis, sedere dicuntur quasi et ipsi judicaturi.

QUÆSTIO CCCXVIII. *Nihil commune nisi ei, qui existimat quid commune esse.* Videtur Apostolus innuere quantitatem reatus assignandam esse secundum quantitatem, et qualitatem conscientiæ, ut si quis veniale peccatum credat mortale, contra conscientiam committens, ad mortem peccet : etiam stramen levando de terra si levaverit conscientia dictante, id esse peccatum ad mortem. Et sic videtur hinc posse haberi omne peccatum, quod contra conscientiam est, esse ad mortem. Nam quicumque contra conscientiam suam agit, etiam veniale committendo, videtur Deum contemnere ; quia se præponit Deo. Solutio. In veniali peccato, quod sit contra conscientiam, alii peccant ad mortem, alii venialiter : nam si quis contra conscientiam committat sic veniale : quod credat se æternaliter puniendum, si illud commiserit, ad mortem peccat, et Deum contemnit. Si autem ex infirmitate aliqua dictante sibi conscientia, quod pro eo non est damnandus, quamvis cum illo exierit, venialiter peccat ; nec se Deo præponit, nec Deum contemnit. Si quis objiciat quod contra conscientiam peccat, et sic placet peccatum commissum, et sic ad mortem peccat ; quia ad mortem peccat, testante auctoritate : *Omnia, cui placet peccatum, etc.* Solutio. Placere, pro in usum ducere accipitur : et quicumque aliquod veniale in usum ducit, reus est mortis, ut dicit Augustinus.

QUÆSTIO CCCXIX. *Bonum est homini non manducare carnem, et non bibere vinum, etc.* Hieronymus contra Jovinianum hoc argumento utitur : Bonum est non bibere vinum, ergo malum est bibere : quod si malum est bibere vinum, peccat omnis, qui bibit vinum, et falsa videtur Apostoli sententia : *Scio, et confido in Domino Jesu, quia nihil est commune per ipsum (Rom. xiv)*. Solutio. Bibere vinum se-

condum Hieronymum dicitur malum per occasionem, quia ex vini potatione facile nascitur luxuria : et est sensus argumentationis : si ex abstinentia vini malum vitatur, ex potatione vini facile occasio mali sumitur. Dicit ergo Apostolus : Bonum est homini non manducare, etc., id est, per abstinentiam carniæ, vel vini, vel cujuslibet alterius cibi vitare ne proximus offendatur, bonum est. Item potuisset dixisse Apostolus de faba, et pisis, et similibus.

QUÆSTIO CCCXX. *Omne, quod ex fide non est, peccatum est.* Quæritur quomodo fides hic accipitur, an pro judicio conscientiæ, an pro fide catholica. Ideo considerandæ sunt quæstiones secundum utramque sententiam. Omne igitur, quod fit contra fidem, id est judicium conscientiæ, peccatum est. Judicium conscientiæ est, quo credimus aliquid faciendum propter Deum, contra quod non est faciendum, ut si quis etiam credat hominem interficiendum si possit : et si non fecerit, peccat etiam ad mortem, ut dicunt quidam. Aliis autem videtur non esse ad mortem, nisi ipse, qui hoc credit propter Deum faciendum esse, mortaliter se peccare putat, et non faciat.

QUÆSTIO CCCXXI. Quæritur igitur, cum iste hæc intentione hominem justum occidat, cum hoc facere debeat, an hoc agendo mereatur ? Quisquis enim pro Deo agit, quod pro Deo agendum putat, meretur, sed iste pro Deo agit, quod pro Deo agendum credit : ergo ex hoc meretur. Quod autem hoc agere debeat, inde constat ; quia si dimittit, mortaliter peccat. Solutio. Aliqui verisimiliter dicunt, quod hic se in arctum misit et ita sive procedat, sive recedat, labitur : ut si quis ante se ignem videat, retro præcipitium aquæ sentiat, utrobique periculum incurrat. Aliis autem videtur, quod ibi duo sunt, error et zelus : quod autem erroris est, malum est ; quod vero zeli, bonum est, et meritum habet. Est enim voluntas bona, id vero in quo exercetur, malum ; in hoc itaque peccat, in illo meretur.

QUÆSTIO CCCXXII. Omnis vita infidelium peccatum, ut dicit expositor. Sed nonne etiam infideles agunt quædam bona ut agros seminare, domos ædificare, parentes pascere : quæ etsi non sunt digna vita æterna, tamen laudabilia sunt, et nullo modo peccata : quomodo ergo omnis vita infidelium peccatum ? Solutio. Infideles vocat contra fidem agentes, non fidem non habentes.

QUÆSTIO CCCXXIII. Nunc autem aliam partem quæstionis prosequamur secundum quod fides pro fide catholica accipitur. Dicens itaque Apostolus : *Omne, quod ex fide non est, peccatum est (Act. x)*, videtur sentire, quod nullus non habens fidem aliquid faciat, quod sibi prosit : quod videtur non esse verum, cum Cornelius nondum habens fidem orans exauditus sit, et alibi scriptum sit : *Qui fideliter rem Babylonis administrant, merebuntur quandoque a Babylone liberari.* Solutio. Apostolus id intendit dicere quod nulli fidem non habenti prosit aliquid ad vitam æternam consequendam, nisi ad

fidem accedat : imo secundum quosdam omnia tali etiam bona obsunt ; quia malis admista bona nocere solent, et tanto magis offendit quis, quanto magis abutitur virtutibus. Unde Augustinus : Meliora minima bona sunt, quam maxima, cum admiscantur malis.

QUÆSTIO CCCXXIV. Queritur hic, cum omne quod ex fide non est peccatum sit, an Judæus peccet Christum esse Deum dicendo, cum coactus hoc dicat : hoc enim dicendo videtur mentiri, cum contra conscientiam loquatur ; unde ad mortem peccare videtur id dicendo. Solutio. Non bene sonare videtur auribus fidelium, quod Judæus dicendo Christum esse Deum ad mortem peccet ; nec nos hoc dicimus, licet id quidam asserere videantur ; quia mentiri est fari quod conscientie judicium dictare debet non esse dicendum. Vel mentiri est proprie dicere falsum cum intentione fallendi : unde ubi non est falsum, nec mendacium, potest tamen aliquis esse reus mendacii etiam verum dicendo. Nulla virtus vera est, nisi quæ formatur agnitione æternæ veritatis ; nec etiam in optimis moribus, ut in philosophis apparet, qui optimis moribus viguerunt, tamen falsa virtute nituerunt, quia æternæ veritatis caruerunt cognitione.

QUÆSTIO CCCXXV. *Etenim Christus non sibi placuit.* (Rom. xv.) Queritur quomodo hoc sit intelligendum. Nonne una est voluntas Patris et ipsius Filii ? quomodo ergo potuit placere Patri, et non sibi ? Quod autem Patri in omnibus placuit, nemo est qui ambigat. Solutio. Non sibi placuit secundum carnis infirmitatem, cujus afflictionem non respuit, juxta quod alibi dicit : *Non verifacere voluntatem meam* (Joan. vi), id est, non venit implere affectum illum quem habuit a natura carnis, sed illum subiebat imperio rationis, quæ ratio in omnibus divinæ voluntati obediebat.

QUÆSTIO CCCXXVI. *Gentes autem super misericordia,* etc. Deus quodammodo se promissione Judæis alligavit ; ad gentes vero sola misericordia transivit : utrumque tamen ex gratia fecit, et quod se illis promisit, et quod ad istos transivit. Dicitur tamen propter promissa Judæis veritas ; gentibus vero misericordia, quia sola gratia et non promissione Dei facta ad illas venit, et eas assumpsit.

QUÆSTIO CCCXXVII. Sed nonne promissio facta est gentibus, cum Dominus dicat in Osee : *Vocabo plebem meam non plebem meam* (Osee ii). Item Isaias : *Lætamini gentes cum plebe ejus* (Rom. xv). Item : *Lætare sterilis, quæ non parit* (Gal. iv), etc. Solutio. Promissio non est facta gentibus, ita quod ad illas sit directa promissio non enim aliqua scripta eis data sunt de ipsa promissione. Vel non est eis facta promissio, quod Christus ad eas veniret, et in propria persona prædicaret : solum enim ad Judæos venit, et eis prædicavit. Unde Apostolus dicit eum ministrum fuisse circumcisionis.

QUÆSTIO CCCXXVIII. *Erit radix Jesse, et qui exsurget regere gentes,* etc. Queritur quare radix Jesse dicatur. Solutio. Quia David ab eo processit,

qui rex constitutus est, et potestate sua multos protexit, sicut arbor radicibus suis, vel ramis, et frondibus protegere solet.

QUÆSTIO CCCXXIX. Queritur etiam qualis ista prophetia fuit, cum Isaias post mortem Jesse esse incæperit ? Nunquid enim prophetia futuro præterito utitur, sicut e converso sæpe ? Solutio. Hæc prophetia est de futuro, et est sensus : Erit radix Jesse, etc., id est Jesse dicetur radix, et ex ea radice erit qui exsurget, scilicet Christus.

QUÆSTIO CCCXXX. *Proficiscar per vos in Hispaniam,* etc. Queritur an mentiebatur Apostolus, cum diceret per Romam se iturum in Hispaniam, et constet, quod tunc cum hoc diceret, illud non fecerit. Neque enim tunc Romam venit. In Hispaniam forsitan, ut putat Hieronymus, navibus transvectus est : unde dicitur, *Mare deprædabitur* : quod pro solo Paulo dictum fuisse Hieronymus commemorat : nam Hispanos mari circumdatos diabolo deprædatus est, ad Christum convertendo. Solutio. Mentiri est, ut dicit Gregorius, falsum dicere intentione fallendi : quod quia Paulus non fecit, nec eum mentitum fuisse dicimus. Hoc enim dixit, quia se proficisci posse sperabat : verba tamen, quæ dicebat, falsum significabant ; non tamen secundum intentionem mentitus est : sic enim facere disposuerat, quia ita in re fore credebat.

QUÆSTIO CCCXXXI. *Secundum revelationem mysterii temporibus æternis taciti,* etc. (Rom. xvi.) Queritur quomodo vocet tempora æterna dicens, temporibus æternis. Solutio. Tempora æterna vocat omne id quod præcessit creationem mundi a creatione angelorum, ut volunt quidam. In quibus temporibus erat successio, non tamen decessio. Ideo miro modo erat quædam immutabilitas illi, et sic quædam æternitas ; et quædam mutabilitas, et sic quædam temporalitas. Omnes tamen fere dicunt angelos non creatos ante mundi creationem. Ideo forsitan tempora æterna vocat, ac si diceret quod mysterium fuit tacitum, et absconditum ab origine mundi.

QUÆSTIO CCCXXXII. *Soli sapienti Deo,* etc. Queritur an per hoc nomen Deus hic intelligatur Trinitas, an persona Patris. Solutio. Augustinus dicit quod hoc nomen Trinitatis est, secundum quosdam nomen est Patris : sed secundum hoc videtur, quod solus Pater sit sapiens, quod est contra fidem, itaque sciendum, quod solus quandoque exclusivum est personæ, quandoque nature tantum.

QUÆSTIO CCCXXXIII. Cum autem dicitur, Deus Trinitas, sapientia, sapiens, queritur qua sapientia, an ingenta, quæ est Pater ; an genita, quæ est Filius ; an sapientia a Patre et Filio procedente, quæ est Spiritus sanctus ; an sapientia, quæ nec ingenta nec genita, nec procedens. Solutio. Hoc nomen Trinitas tantum significat, quantum tres personæ, vel Pater, Filius et Spiritus sanctus : et Pater quidem sapiens est sapientia ingenta ; Filius sapientia

genita; Spiritus sanctus sapientia procedente a A genita, et procedens, non tres sapientiæ, sed una Patre, et Filio. Et sapientia ingenita, et sapientia naturaliter sapientia.

II.

IN EPISTOLAM I AD CORINTHIOS.

QUÆSTIO I. *Paulus vocatus Apostolus etc.* (I Cor. 1). Hæc Epistola, quæ destinatur Corinthiis, non sicut in corpore epistolarum secundo loco disponitur, sic secundo loco ab Apostolo scripta est. Utraque enim epistola Corinthiis missa ante scripta est, quam illa, quæ est ad Romanos. Quod inde patet, quia in Epistola ad Romanos dicit, se Romam profecturum postquam collectam ab Achaicis factam pauperibus, qui sunt Hierosolymis, assignaverit. De qua collecta facienda in istis mentionem facit. Sed hoc non est factum sine rationali causa, quod illa ad Romanos in corpore epistolarum aliis præponitur, sed propter dignitatem Romanorum. Vel potius quia in illa primum vitium tollitur et destruitur, quod est superbia. Corinthii vero ab Apostolo ad fidem conversi, sed postea multifariam a pseudoapostolis subversi et seduti, errabant in virtutibus sacramentorum, et maxime in virtute baptismatis, putantes ipsum a malo collatum, nullam habere virtutem, majorem a meliori, minorem a minus bono. Minus etiam de Apostolo sentiebant, et contemptui habebant: qui in verbis humanæ sapientiæ ad eos non venerat, sed in simplicitate fidei propter parvulorum informationem. De resurrectione etiam non bene sentiebant, dicentes eam jam factam esse: aliqui etiam inter eos omnino negabant. Quidam etiam lege cum Evangelio quasi ad salutem necessariam tenere volebant. In conjugio etiam peccabant, sicut in multis aliis, et schismata faciebant: in quibus eos Apostolus corrigere intendit. Postquam enim in nobis superbia succisa est, restat ut etiam alia vitia succidamus. Ex his itaque apparet, quæ sit hujus epistolæ materia, quæ intentio, quis modus et ordo agendi. Est autem specialis hujus epistolæ materia, status Corinthiorum, in quo tunc erant, cum eis scripsit Apostolus ab Epheso. Intentio vero est eos a contentione ad unitatem fidei revocare. Modus vero talis, quia instruit, corripit, confirmat, laudat secundum personarum qualitates. Ordo talis: salutationem more scribentium epistolas præmittit, ne in exordio eos increpasse videatur. Deinde de bonis præponit, ut eis alii conformentur, et sic ad contentionem arguendam venit. Inchoat itaque a salutatione dicens, Paulus, nomine humilitatis utens contra superbiam; Apostolus, nomen est dignitatis et officii.

QUÆSTIO II. *Per voluntatem Dei, etc.* Quæritur quid hic vocet voluntatem Dei? Dicitur enim aliquando voluntas Dei ipsius consilium, aliquando

præceptum, aliquando dispositio, aliquando approbatio, aliquando permissio. Solutio. Voluntatem Dei vocat ipsius beneplacitum.

QUÆSTIO III. *Gratia vobis et pax a Deo.* Quæritur quid sit gratia Dei? Solutio. Gratia Dei dicitur, Deus gratis dans, et gratia id est inspiratio divina, scilicet operatio Dei, ex qua movetur animus ad diligendum Deum et proximum.

QUÆSTIO IV. *Expectantibus revelationem, etc.* Quæritur utrum omni justo reveletur statim post mortem ejus de ejus salute. Videtur enim quod non: nam cum ista revelatio sit plena cognitio, quæ est æterna beatitudo, videtur si hoc concedatur, quod nullus sit in pœnis purgatoriis; simul enim in pœna, et gloria quis esse potest? Solutio. Perfecti statim ad cognitionem summi boni transeunt in quo est æterna beatitudo. Minus autem perfecti antequam ad æternam beatitudinem perveniant, per pœnas purgatorias transeunt, certi tamen de sua tandem requie. Quod autem pœnæ purgatoriæ sint, manifestat Augustinus dicens: Mitissima pœna purgatoria gravior est qualibet pœna temporali, quæ apud nos est: non possunt itaque simul esse pœna et gloria in igne tali.

QUÆSTIO V. Quæritur quomodo sit intelligendum, quod legitur: *Tremebunt angeli in die judicii*; si enim tunc tremor erit in eis, quomodo beati? Solutio. Tremor iste notat venerationem superioris potentiæ, non quod pœna timoris possit ibi esse, ubi æterna beatitudo. Notandum quod non omne peccatum mortale dicitur crimen, sed illud solum, quod est dignum accusatione et damnatione.

QUÆSTIO VI. *In diem adventus Domini, etc.* Quæritur an Dominus sit venturus in die ad judicium; quia sæpe tempus adventus ejus dies vocatur. Solutio. Tempus adventus Domini, dies nuncupatur non pro aeris illuminatione, sed pro occultorum revelatione: omnia enim quæ modo latent, tunc patebunt. Nescitur vero an die, an nocte venturus sit? Non enim tamen nomine diei ut supra, sed etiam nomine noctis designatur, tempus judicii, ut in Evangelio scriptum est: *Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit* (Matth. xxv); sed nox dicitur propter nimiam sui occultationem: dies judicii dicitur propter discretionem bonorum et malorum.

QUÆSTIO VII. *Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit: Ego sum Pauli, etc.* Quæritur an verum dicat Apostolus dicens, Hoc autem etc. cum

nullus eorum hoc diceret. Non enim in veris apostolis gloriabantur, sed in pseudo. Unde in sequenti dicturus est. *Hæc autem, fratres, transfiguravi in me, et in Apollo (I Cor. iv)*. Solutio. Verum dicit Apostolus, et est sensus verborum : Hoc autem dico, quod unusquisque, etc., id est hoc, quod dico, simile est illi quod unusquisque vestrum dicit. Noluit autem illos, in quibus gloriabantur propriis designare vocabulis, ne videretur illis invidere ; et ut in majoribus ostendat in minoribus non esse gloriandum.

QUÆSTIO VIII. Dicit Augustinus quod potestatem baptizandi Christus sibi retinuit, quam, si vellet, servis suis dare potuit. Quæritur igitur quæ sit illa potestas, quam Christus sibi retinuit, et servis potuit dare, et tamen non dedit. An si potestas exterius corpora tingendi ; sed hanc dedit apostolis, quibus ministerium baptizandi contulit ; si autem potestatem baptizandi vocat interius animas abluendi, potestatem hanc solus Deus habere potest, cujus solius est se animabus infundere, et maculas peccatorum abstergere : quomodo ergo hanc servis suis dare potuit ? Solutio. In responsione hujus quæstionis multi laborant, nescientes quid nomine potestatis Augustinus significaverit. Nos autem dicimus quod potestatem vocat dignitatem : qua invocatione nominis Christi, vel totius Trinitatis datur baptismus : quam dignitatem potuit dare servis suis præcipuis, ut eorum nomine designaretur baptismus, et diceretur baptismus Pauli, baptismus Petri, et tantam vim haberet baptismus nominibus eorum designatus, quantam habet nomine ipsius Christi designatus : hanc tamen eis dare noluit, ne quis spem poneret in homine.

QUÆSTIO IX. *Aut in nomine Pauli baptizati estis, etc.* Quid in nomine Pauli sit baptizari, solet quæri. Solutio. In nomine Pauli non sunt baptizati fideles ; quia illi, qui baptizantur, non jubentur credere in Paulum, sed in Christum, nec nomen Pauli invocatur super eos vel super elementum, ut fiat sacramentum, sed nomen Christi qui solus baptizat in Spiritu.

QUÆSTIO X. *Ne in sapientia verbi evacuaretur crux Christi.* Quæritur quomodo per sapientiam verbi evacuaretur crux Christi. Solutio. Sapientia mundi, quæ dicitur sapientia verbi, quia nulla virtute, sed sola verborum compositione commendatur, opinatur naturale ingenium ad cognoscendum, et liberum arbitrium sufficere ad recte vivendum : quod si esset, crux Christi evacuaretur, id est Christus gratis mortuus esset.

QUÆSTIO XI. *Perdam sapientiam, etc.* Nonne omnis sapientia a Deo ? quomodo ergo dicitur : *Perdam sapientiam sapientium ?* Nunquid Deus id, quod ab ipso est, perdit ? Solutio. Sapientia ipsorum in ipsis non est sapientia Dei ; quoniam eam sibi ascribunt, et ea abutuntur ; unde dum summa comprehendere putant, evanescunt in cogitationibus suis, et sic ex eorum sapientia damnationem sibi incurrunt. Falsa ita-

A que opinio eorum, qua credebant Deum non posse aliquid facere contra solitum cursum nature, et qua opinati sunt liberum arbitrium sufficere ad salutem, sapientia sapientium vocatur a propheta, quam Deus destruit faciendo contra eam, secundum rationes superiores, operando salutem nostram in medio terre.

QUÆSTIO XII. *Mundus per sapientiam non cognovit Deum.* Quæritur quomodo hoc sit verum quod hic dicit, cum alibi scriptum sit de sapientibus mundi : *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt (Rom. i)* : quomodo utrumque est verum, mundus non cognovit, et cum cognovissent Deum ? etc. Solutio illud : Cum cognovissent Deum, etc, intelligitur de possibilitate cognoscendi. Hoc autem mundus non cognovit Deum, de actu cognitionis accipitur. Vel potius illud, cum cognovissent Deum, de paucis sapientibus et excellentioribus intelligitur. Hoc autem, mundus non cognovit, de omnibus, vel majori parte exponitur. Unde hic dicit mundus : quo nomine universitas, vel major pars intelligi solet. Vel mundus, id est sapientes mundi, et si Deum cognovissent secundum opera restorationis, in potentia, non in pietate ; in majestate, non in humilitate. Notandum esse theophanias in creaturis, id est divinas apparitiones, ut in mundo, cujus magnitudo summam Dei potentiam demonstrat ; plenitudo vero vel pulchritudo mundi, Dei sapientiam demonstrat ; utilitas autem mundi, benignitatem Dei insinuat : in potentia Pater, in sapientia Filius, in benignitate Spiritus sanctus intelligitur.

QUÆSTIO XIII. *Qui gloriatur, in Domino gloriatur, etc.* Quæritur quid sit in se, vel ex se gloriari. Solutio. In se, vel ex se gloriatur, qui esse putat ex se, quod ex Deo est, et ideo laudem sibi attribuit, qui quantum in se est, Deo aufert quod suum est : solus enim Deus auctor honorum est. Unde consequens est, quod quicumque dicit aliquid boni esse ex se, quodammodo se facit Deum. In se etiam gloriatur, qui licet sciat esse a Deo quod habet, tamen finem illius, quem deberet ad Deum referre, ad se retorquet.

QUÆSTIO XIV. Quæritur etiam quid sit in Domino gloriari. Solutio. In Domino gloriatur, qui sola gratia Dei se dignum gloria arbitratur.

D QUÆSTIO XV. *Et ego non veni ad vos in sublimitate sermonis, aut sapientie, etc. (I Cor. ii.)* Quæritur quomodo Apostolus dicat, se non venisse ad Corinthios in sapientia, sed prædicasse eis Christum, et hunc crucifixum : tanquam minus difficile sit ad intelligendum, quod Deus in carne assumptus mortuus sit, quam Deum esse in essentia unum, et trinum in personis ? Solutio. In Christo duæ sunt nature, humana et divina : quæ vero sunt secundum naturam humanam, magis nobis affinia sunt quam illa, quæ secundum naturam divinam sunt : quare a nobis facilius creduntur et intelliguntur. Ea vero quæ secundum divinam naturam, ut de tribus personis, et eadem essentia et hujusmodi, remotiora

sunt, et ideo ad intelligendam difficiliora. Unde bene dixit se non venisse ad eos in sapientia cum de morte Christi eis dissereret; quia illa minora, et non illa sublimiora prædicavit.

QUÆSTIO XVI. Nonne ad hoc, ut aliquis sit perfectus, exigitur ut Deum unum et trinum credat? et sic videtur Apostolus imperfectam doctrinam illis tradidisse, non prædicans illa sublimiora, et sic decepisse. Solutio, Fides duobus modis dicitur, vel quando simpliciter proponitur quid credendum sit: vel quando discretio eorum, quæ creduntur, distincte ostenditur, quid credendum sit, et qualiter, et quare. Sic autem Apostolus generaliter sine discretione singulorum articulorum, proposuit eis quid credere deberent. Sic enim oportet in primis credentes initiare, postea proficientes perficere.

QUÆSTIO XVII. *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Quæritur quos vocet perfectos hic Apostolus. Sunt enim alii perfecti in fide et cognitione; alii perfecti in cognitione, et minus in fide; alii perfecti in fide, et minus in cognitione. In fide et cognitione perfecti sunt, ut apostoli; in cognitione perfecti, et minus in fide, ut quidam clerici, qui minus constantes sunt in fide quam rustici; in fide et non cognitione, ut complures rustici, qui parum de cognitione attigerunt, et tamen perfecte credunt. Solutio. Videtur nobis, quod sapientiam loquebatur Apostolus inter perfectos cognitione, quia illi, qui sola fide sunt perfecti, videntur incapaces altiorum: tamen merito fidelibus talibus sæpe multa revelantur: et ideo secundum quosdam perfectis fide loquitur.

QUÆSTIO XVIII. *Neque principium hujus sæculi quæ destruitur [qui destruuntur].* Quæritur quomodo sapientia philosophorum destruat, cum ipsa videatur esse comprehensio veritatis. Solutio. Destruitur, cum falsa vel nulla esse demonstratur: putabant enim, ut jam dictum est, quod Deus nil contra naturam facere posset. Itaque inter magna, et multa quæ vere comprehenderunt, multa falsa asserebant, et illam veritatem, quam ex Deo habuerunt, non Deo, sed sibi attribuerunt, unde sapientia eorum versa est in tenebras.

QUÆSTIO XIX. *Quam nemo principium hujus sæculi.* Quæritur primo quos vocet principes sæculi? Solutio. Vel sapientes mundi, vel dæmones, vel etiam legisperitos.

QUÆSTIO XX. Quæritur ergo secundo quomodo verum sit, quod nullus dæmonum eum cognoverit, cum scriptum sit de illis, qui dicebant: *Jesu fili David, quid venisti ante tempus torquere nos?* (Matth. viii). Et iterum: *Et erant multa dæmonia exeuntia, et clamantia, quoniam hic est filius Dei, et non sinebat ea loqui; quoniam sciebant eum Filium esse Dei* (Marc i). Solutio. Dicti sunt dæmones scivisse propter suam existimationem: qui potius existimabant Deum esse Christum quam veraciter scirent: sic enim Deus diabolum semper dubium reliquit, ut semper post humilia aliqua alta faceret, et post sublimia ad humilia rediret: unde post illud insigne miraculum de Lazaro, cum

A diabolus prorsus putaret Deum esse, permisit se capi, ligari, flagellari: Unde iterum diabolus purum hominem eum esse arbitrabatur; sed ipso jam ducto ad præsidem, et ipsis Judæis in malo confirmatis aliquo modo ei revelatum est, quod per eum jus suum perderet, et persuadere voluit Pilato per uxorem, ut eum dimitteret.

QUÆSTIO XXI. Item quæritur tertio de Judæis quomodo verum sit, quod eum non cognoverunt, cum de eis scriptum sit in parabola evangelica: *Ecce hæres; venite, occidamus eum* (Marc. xii). Et alibi: *Quia per invidiam tradiderunt eum* (Matth. xxvii): sed si cognoverunt, et tamen occiderunt, incredibile crudelitas in eis fuit. Item, si sciebant eum esse Deum, sciebant eum immortalem, et sic non posse B mori: quomodo ergo ejus mortem quærebant, si ipsum non posse mori sciebant? Solutio. Dicunt quidam Judæos cognovisse Christum, quod negare non potuerunt. Vel in veritate aliqui eorum cognoverunt ipsum esse illum qui in lege et prophetis promissus erat. Non autem ipsum esse Deum credebant, quod tamen eum, quem sciebant esse justum, occiderunt, invidia erat. Cujus est talis natura, ut contra sua bona quærat aliena incommoda: divini ergo consilii dispensationem penitus ignoraverunt.

QUÆSTIO XXII. *Ut sciamus, quæ donata sunt nobis.* Quæritur quid sit scire ea, quæ data sunt nobis. Solutio. Scire a quo sunt data, et non esse ingratum datori: ille enim dicitur vere habere qui scit unde C habet: ille habere, qui nescit unde habeat, et ingratus est ei, a quo habet: nemo enim donis Dei est beatus, qui danti est ingratus.

QUÆSTIO XXIII. *Spiritualibus spiritualia comparantes.* Quæritur quos vocet spirituales: alii enim vita, et non intelligentia sunt perfecti; alii intelligentia, et non vita. Solutio. Quos superius perfectos nuncupavit, hic dicit spirituales.

QUÆSTIO XXIV. Quæritur quem dicat animale. Est enim animalis secundum vitam, et secundum intelligentiam. Solutio. Terrenæ sapientiæ intentum vocat animale, qui terrena considerans, quæ Dei sunt stulta reputat.

QUÆSTIO XXV. *Spiritualis vero omnia discernit, quæ ad salutem sunt necessaria, et ipse a nemine judicatur.* Nequit enim animalis intelligere, quid D faciat, vel quare. Opponitur. Petrus a Paulo est reprehensus, ergo spiritualis a spiritali judicatur. Solutio. Spiritualis a nemine judicatur, id est, damnabilis, et damnatione dignus a nullo ostenditur: licet enim in aliquo peccet, non tamen hoc damnabile est illi.

QUÆSTIO XXVI. *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, etc.* (I Cor. ii). Nonne Apostolus spiritualis erat tam vita quam scientia, et sic potuit loqui spiritualia, quod et faciebat? Unde superius: *Sapientiam inter perfectos loquimur* (I Cor. ii), quomodo ergo dicit. Non potui vobis loqui tanquam spiritualibus? Solutio. Non hoc dicit, quin facultatem docendi majora intrinsecus haberet, sed quia ipsi congrui auditores non erant, sæpe tamen permistis perfe-

ctis et imperfectis eadem dicuntur, etsi non eodem modo intelligantur.

QUÆSTIO XXVII. *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus nunc incrementum dedit.* Quæritur quomodo Apostolus dividat inter se, et Deum, et Apollo, cum Paulus, vel Apollo nihil faciat, nisi ex Deo et per Deum, et sic quidquid vel Paulus vel Apollo operatur, et Deus operetur. Solutio. Dividit Apostolus, ut ostendat quid Deus per ipsum Paulum, et per Apollo, et per se operatur: Apostolus enim prædicando ad fidem Christi operabatur, quod et Deus fecit per Paulum. Frustra enim Apostolus extra loqueretur, nisi Spiritus sanctus intus esset, operando, et mentem moveret.

QUÆSTIO XXVIII. *Qui rigat, et qui plantat, unum sunt.* Quæritur quomodo unum, cum sint tam in substantia quam in accidenti divisi? Solutio. Unum sunt, id est indifferentes. Neque enim Paulus plus confert ex eo quod Pauli est, quam Apollo ex eo quod Apollo est. In collatione enim donorum non plus facit iste quam ille: solus enim Deus dona confert, plus tamen laborat Paulus quam Apollo, et majus donum confertur per officium Pauli quam Apollo, quia per fidem, quæ ex prædicatione est, venit ad baptismum. Vel per sacramenta ipsa non plus confertur ex isto quam ex illo, vel per hunc quam per illum.

QUÆSTIO XXIX. *Dei enim sumus adjutores, etc.* Nunquid Deus indiget aliquo? Quomodo ergo apostoli erant adjutores Dei. Solutio. Ideo dicti sunt adjutores Dei, quia per illos operatur Deus, licet illud idem per se operari posset.

QUÆSTIO XXX. *Ut sapiens architectus fundamentum posui, etc.* Quæritur quid dicat fundamentum. Solutio. Fidem Christi, quæ per dilectionem operatur, quam consecuti sunt ex prædicatione ipsius Pauli: hoc fundamento manente, nemo perire potest, licet aliquæ maculæ adhæreant, quæ per ignem purgantur. Quamvis enim hic aliqua mundana desiderio possederunt, hæc Deo tamen non prætulerunt, sed Deum omnibus. Deum autem præferre omnibus est, si daretur optio vel electio moriendi vel Christum negandi, malle mori quam Christum negare, Super hoc fundamentum alius id, alius illud ædificat.

QUÆSTIO XXXI. Quæritur, quid per lignum, fenum, et stipulam intelligatur? Solutio. Dicunt quidam quod per hæc tria intelligitur peccatum veniale: sed hæc quomodo super hoc fundamentum ædificant cum potius quodlibet peccatum pertineat ad destructionem quam ad ædificationem. Item quomodo hæc ædificans salvus erit quasi per ignem, cum fides sine operibus mortua sit. Item *si quis habuerit omnem fidem, ita ut montes transferat, charitatem non habeat, nihil prodest (I Cor. XIII)*: ergo si non est salus sine charitate quomodo potest aliquis salvari, sola hæc tria, super hoc fundamentum ædificans?

QUÆSTIO XXXII. Aliter alii dicunt quod per lignum, fenum, stipulam intelliguntur bona opera, sed imperfecta. Secundum quam sententiam quæritur quomodo bonum opus sit arsurum, vel quomodo

detrimentum patiat? Solutio. Non opus bonum, quia bonum; sed quia imperfectum a sua imperfectione purgabitur, et præcipue quibusdam affectionibus carnalibus, quas habent talium ædificatores, quæ videntur peccata venalia esse.

QUÆSTIO XXXIII. *Omnia vestra sunt; vos autem Christi; Christus autem Dei, etc.* Quæritur secundum quam naturam nos sumus Christi, hoc est, an ipsius sumus secundum humanam naturam, an secundum divinam. Solutio. Potest dici quod ipsius sumus non solum secundam naturam divinam, secundum quam noster est Creator, sed etiam ipsius sumus secundum humanam naturam, secundum quam est noster Redemptor; ipse autem secundum utramque naturam Dei Patris est, a quo habet quidquid habet; sed aliter et aliter: secundum enim quod Deus est, habet per naturam omnia, quæ Patris sunt; et omnia eadem habet secundum quod est homo, sed per gratiam: hæc est norma rectæ fidei.

QUÆSTIO XXXIV. *Nihil mihi conscius sum, etc. (I Cor. IV).* Quæritur quomodo dicat Apostolus se sibi in nullo conscius esse, et tamen in hoc non justificatum esse: et Joannes in Epistola sua dicat: *Si non reprehenderit nos conscientia nostra, jam fiduciam habemus ad Deum (I Joan. III).* Et ipse Paulus alibi: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientia nostra (II Cor. I)* quare nos justos esse debemus putare, et inde gloriam nos habere, si nos non reprehendat conscientia nostra. Quæ est enim major perfectio justitiæ, quam tam puram conscientiam habere? Solutio. Potest aliquid semper nos latere: ideoque ad hoc quod veram justitiam habeamus, non sufficit, quod conscientia nostra nos non remordeat: tamen gloriari inde possumus, quod nostra conscientia munda est, et pura.

QUÆSTIO XXXV. Item quæritur, quomodo Apostolus non esset sibi conscius, cum sciret se non esse sine peccato. Unde Joannes: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, mendaces sumus, et veritas in nobis non est (I Joan. I).* Et puer, cujus vita est unius diei super terram (*Job II*), non sit sine peccato. Unde ipse ait: *Et facio quod nolo (Rom. VII).* Solutio. Apostolus tantæ perfectionis erat, quod quidquid conscientia sua sibi dictabat esse faciendum, hoc faciebat. Unde si quandoque ut homo, vel per ignorantiam, vel subreptionem, vel fragilitatem peccasset, totum sicut stipulam vis divinæ dilectionis consumpsit.

QUÆSTIO XXXVI. *Nolite ante tempus judicare, etc.* Aliud est judicare de ambiguis, quod est prohibitum, quia damnabile: aliud est suspicari, quod est humanæ infirmitatis, qua nemo forsitan caret. Sed cum Apostolus prohibeat judicare, et ipse Dominus idem in Evangelio prohibeat, quid est quod alibi Dominus dicit: *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium (Matth. VII).* Qualiter etiam discerni possunt, ipse subdit, dicens: *A fructibus eorum cognoscetis eos (ibid.)* Hinc videtur innuere quod de talibus debeamus judicare. Solutio.

Aliud est malos discernere, ut caveantur; aliud A
judicare damnatione dignos: quos nescimus defini-
re an sint boni an mali.

QUÆSTIO XXXVII. Item, quomodo falsi prophe-
tæ possint ex operibus discerni: quæritur, cum
omnia eadem faciant, quæ et boni: per fructus
enim opera intelliguntur. Solutio. Virtute perse-
verantiæ probantur, et discernuntur falsi a veris.

QUÆSTIO XXXVIII. Quæritur an verum sit quod
dicit Apostolus: *Jam saturati estis (I Cor. iv)*, cum
ironice loquatur: quod non videtur, cum contra-
rium sit verum. Solutio. Quoties tale genus locu-
tionis advenerit, quantum ad superficiem vocis, et
primam significationem locutionis, falsum est quod
dicitur: ipse tamen, qui loquitur: non mentitur;
sed potius verum dicit, quod contigit ex natura B
tropi.

QUÆSTIO XXXIX. *Non ut confundam vos.* Nonne
bonum est facere verbo, ut peccator confundatur,
et erubescat de culpa sua, et sic corrigatur: quo-
modo ergo dicit Apostolus: *Non hoc dico, ut con-
fundam vos?* Solutio. Confusio est duplex. Est con-
fusio, quæ ad mortem est, ex qua peiores efficiun-
tur aliqui, et est confusio, quæ est correctionis,
cum erubescit ex correctione de peccatis, ut am-
plius absterneat homo.

QUÆSTIO XL. *Veniam ad vos in virga, an in cha-
ritate?* Quæritur quomodo Apostolus dividat, di-
cens, an in virga, an in charitate. Solutio. Nomen
charitas, hic ex adjuncto restringitur circa suavia
et delectabilia, quæ ex charitate fiunt: quandoque C
autem charitas omnia significat, aspera, et suavia,
quæ ad salutem pertinent.

QUÆSTIO XLI. Dicit expositor quod illis, qui pu-
niuntur per pœnam illatam, minuitur peccatum:
sed quæritur quomodo hoc sit verum, cum inviti
pœnam illatam sustineant, et in hoc sint contrarii
justitiæ, et sic magis peccent, et sic peccatum
eorum augetur in hoc, quod puniuntur. Solutio.
Potest de talibus dici quod saltem peccata, in
quæ caderent, si amplius viverent per pœnam,
quam patiuntur vitant; si enim voluntarie pœnam
sustinerent, etiam peccatum jam commissum di-
mitteretur.

(I Cor. v). *Judicavi tradere hujusmodi hominem
Satanæ, etc.* Ex hoc loco Apostoli accipit Ec-
clesia sententiam anathematis, id est separatio-
nis; fit autem separatio nunc de notis personis,
et manifestis, nunc de ignotis; sed sive de his,
sive de illis, prius provocandi coram Ecclesia
sunt. Quidam etiam diutius expectandi, et sæ-
pius admonendi secundum personarum, et pec-
catorum diversitatem et qualitatem, ut si rex per
cujus iram strages imminet Ecclesiæ. Postquam
vero separati fuerint, si noti sunt nullo modo
communicandum est eis: si ignoti, si commu-
nicet quis ignoranter, non peccat; si vero suspi-
cetur, si sine scandalo vitare possit, vitet: si
non potest, communicet. Hæc autem vindicta de-
bet fieri causa communis utilitatis, et ejus et
aliorum.

PATROL. CLXXV.

QUÆSTIO XLII. Quæritur ergo, an excommunicare
aliquem, bonum sit, quod videtur, quia justum.
Solutio. Bonum, id est expediens est, non tamen in
se, et ex qualitate sui bonum est: cum autem tale
quid dicitur justum, sic intelligitur, id est pro me-
rito retributum, non quod sit qualitate justitiæ in-
formatum.

QUÆSTIO XLIII. Similiter an esse excommunica-
tum sit bonum, quæritur. Solutio. Juxta rationem
prædictam videtur esse bonum, quia non solum
cæteris, sed etiam illi, excommunicatio videtur
expedire: si enim resisteret admonitioni Ecclesiæ,
peccaret.

QUÆSTIO XLIV. Quæritur autem, si contingat il-
lum excommunicari, qui non meruit, sed odio vel
invidia prælati percutitur quis sententia excom-
municationis, utrum debeat resistere, an cedere.
Solutio. Si sine scandalo resistere potest, resistat,
et tumorem sui prælati bono zelo reprimat; si
sine scandalo non potest, cedat, et pro Deo pa-
tienter sustineat: unde sententia prælati semper
timenda, non semper tenenda. Cum aliquis ex-
communicatur, in potestatem traditur Satanæ, ut
ejus carnem vexei, ut sic tandem resipiscat: nec
tamen semper Satanæ vexat. Callidus enim hostis
uni parcit, ut multos acquirat, vel ut ipsum sibi
conservet.

QUÆSTIO XLV. *Expurgate vetus fermentum, etc.*
Quæritur quid vocet vetus fermentum? Solutio.
Inanem gloriationem, vel vitæ vetustatem, quæ per
novitatem vitæ est purganda.

QUÆSTIO XLVI. *Non possunt tales Christo lucrari,
etc.* De glossa hoc est. Quæritur: Cum humana
mens sit prona ad malum magis quam ad bonum,
et maxime cum suadetur ei ad consueta redire,
quare Apostolus conversis nuper ad fidem conces-
sit mensam, et colloquium cum gentibus habere
commune, cum facilius Christiani ad idololatriam
suasione gentilium accederent, quam gentiles
Christianorum admonitione ad fidem? Solutio. In
primitiva Ecclesia conversi ad fidem charitate fer-
ventes non facile poterant a fundamento avelli:
quod Apostolus cognoscens, ei consortium tantum
concessit gentilium.

QUÆSTIO XLVII. *Si is, qui frater nominatur inter
vos, est fornicator, etc.* Cum tanta multitudo sit
modo in Ecclesia, quæritur an contra præceptum
Apostoli faciamus, cum cibum sumimus cum ta-
libus: an omnes tales ab Ecclesia sint ejiciendi,
et falce anathematis præcidendi. Solutio. Ita qui-
dem esset faciendum, si posset fieri sine scanda-
lo: sed tamen quia tanti, et tot potius schisma
facerent, quia correctionem et emendationem res-
puunt, tolerantur: et ideo nihil aliud restat,
nisi ut Rachel ploret filios. Notandum quod
fornicationum alia est corporalis, alia spiritua-
lis: corporalis est omnis usus aliorum membro-
rum præter legitimum; spiritualis est, quæ a Deo
animam separat, et tanquam sponsam sponso
aufert.

QUÆSTIO XLVIII. *An nescitis quoniam sancti de hoc*

mundo judicabunt? (I Cor. xi.) Hic ostendit Apostolus, quod licet sanctis de rebus sæcularibus judicare: sed si hoc est, quomodo potea subjungit: *jam omnino delictum in vobis, quod judicia habetis inter vos* (Ibid.): si licet judicare, quomodo hoc delictum est? Solutio. Licet sanctis causas habere sub disciplina, sed non licet inter se contendere.

QUÆSTIO XLIX. Quæritur quomodo hoc verum sit, quod liceat sua repetere, cum Dominus dicat: *Si quis abstulerit tibi tua, noli repetere?* (Luc vi.) Solutio. Sua repetere etsi non sit malum, tamen est occasio mali: ideo Dominus consulit non repetere sua propter contentiones vitandas. Hoc est quod Apostolus ait: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt* (I Cor. x).

QUÆSTIO L. Quæritur qualiter sancti in futuro sint judicaturi? et dicitur non solum melioris facti comparatione, sed etiam auctoritate et potestate. Unde non immerito quæritur quæ sit illa potestas, quia scriptum est: *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (Joan. v) Solutio. Sicut dicit Daniel: *Sedit judicium, et aperti sunt libri scilicet æternarum rationum, secundum quas fiet judicium, et libri conscientiarum, de quibus fiet judicium* (Dan. vii). His libri æternarum rationum, et conscientiarum erunt aperti, et manifesti iis, qui cum Domino sunt judicaturi. Et hæc occultorum revelatio secundum quosdam est eorum potestas, et auctoritas: secundum alios ideo dicti sunt sancti cum Domino judicaturi: quia eorum comparatione mali damnabiles apparent. Unde quod judicabunt sancti nationes, legitur.

QUÆSTIO LI. Quæritur an sit præceptum, an consilium, an permissio, hoc quod dicit de judiciis? Est autem consilium de summis, ut illud: *De virginibus præceptum non habeo; consilium autem do* (I Cor. vii). Præceptum de mediis, ut: *Non occides, non adulterabis* (Exod. xx). etc., permissio de infimis, ut de cibo sumendo. Videtur autem quod sit præceptum: si enim mea non repeto, illum in errore foveo, qui abstulerit: quare causa utilitatis communis debeo repetere: quare ex præcepto repeto; quia omne malum præcepto fugiendum est. Solutio. Permissio est repetere; consilium autem non repetere. Apostolus ergo ostendit quid licet infirmis: Dominus autem ostendit quid conveniat perfectis, scilicet non repetere: contendere autem, et lites exercere ante judicem, præcipue infidelem omnino delictum est.

QUÆSTIO LII. *Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur.* Quæritur de hac unitate quæ sit, et secundum quid sit intelligenda. Solutio. Notat quod tales nsn solum unum corporali sunt conjunctione, sed in libidinis ardore, et hoc turpissimum est, sic unum corpus efficitur cum meretrice, qui unus spiritus deberet esse adhærens Deo.

QUÆSTIO LIII. *Erunt enim, inquit, duo in carne una.* Quæritur quomodo hanc auctoritatem, quæ est de illa conjugali copula, quæ sancta est, inducat

A Apostolus ad hanc turpem copulam ostendendam, quæ est inter fornicantem et meretricem, cum nullo modo illa, quæ ibi est copula, hoc esse possit. Solutio. Sensus est: Si in illa copula conjugali unum corpus efficitur amborum, multo magis hæc una caro efficitur propter majorem vitii delectationem.

QUÆSTIO LIV. *Portate Deum, etc.* Quid est Deum portare? Solutio. Sobrie, et juste, et pie vivere. Deum ergo portant qui in ipso bene vivunt: hoc enim est ejus imaginem et formam justitia induere, sicut Deum conculcant, qui male videndo eum negant; deponunt vero Deum, qui in charitate tepescunt et laxiores ac remissiores efficiuntur.

QUÆSTIO LV. Dicit glossa: *Gravius est in Deum peccare quam in proximum; sed nonne qui in proximum peccant, Deum offendunt; quomodo ergo distinguitur et hoc, et illud?* Solutio. In Deum peccare, est per contemptum in his rebus, quæ ad ipsum specialiter pertinent, ut in sacramentis, et fide, et similibus Deum offendere. In proximum peccare, est ipsum aliqua injuria lædere, quod est minus grave quam primum. Vel in Deum peccare, est interius mentem violare. In proximum, exterius hominem verbo vel exemplo lædere: non ergo omnis, qui eum offendit, in Deum peccare dicitur.

QUÆSTIO LVI. *De quibus autem scripsistis mihi etc* (I Cor. vii). De conjugio tripliciter agit, secundum præceptum, secundum permissionem, secundum consilium, quæ singula diligens lector in suis locis distinguat. Quid sit conjugium videndum est, quæ causa efficiens, quæ causa propter quam contrahitur, quæ sint legitimæ personæ, et quæ sint bona conjugii. Est itaque conjugium vel matrimonium maritalis conjunctio maris et feminae, inter legitimas personas individualem vitæ consuetudinem retinens. Hæc definitio tantum conjugio convenit fidelium. Secundum alios: Conjugium est potestas legitime commiscendi, et ex legitimo consensu contracta. Causa efficiens est consensus materialis per verba de præsentibus expressus. Consensus, qui in anima est, coram Ecclesia debet demonstrare, sine quo non est conjugium, unde legitur: *Matrimonium non facit copula corporum, sed voluntas animarum.* Causa propter quam contrahitur, est procreatio proles, et vitatio fornicationis. Legitimæ personæ sunt: quas non impedit vel votum continentia, vel sanguis, vel ordo, vel dispar cultus, vel conditio, vel frigiditas naturæ. Tria sunt bona conjugii: Fides, proles, sacramentum scilicet inseparabilitas, quæ duplex est, sacramenti et ipsius matrimonii: hoc enim bonum tertium scilicet sacramentum non ipsum est conjugium, licet ipsum sit sacramentum, sicut et illud: sed utrum ejusdem rei utrumque sit, potest quæri quod hic solvere postponimus causa brevitas, cujus vestigia sequimur: in sacramentis enim et sententiis majorum, hæc diligentius prosequimur.

QUÆSTIO LVII. *Hæc autem dico secundum indulgentiam.* Quæritur quid sit, vel vocetur indulgentia?

Solutio. Indulgentia est concessio laxioris vitæ ; A quam licitum sit, quod esset licitum et peccatum, ubi nulla concessio esset. Commistio enim carnalis viri et feminae peccatum esset, nisi statum conjugatorum suscepisset, et sic per concessionem illicitum fit licitum, quæ solet fieri causa gravioris peccati vitandi.

QUÆSTIO LVIII. *Volo autem omnes vos esse sicut meipsum.* Quæritur quomodo Apostolus dicat se velle omnes castos, cum sciret quod Deus non vult ? si enim hoc esset, quomodo generis humani fieret propagatio ? Solutio. Conditio est implicita quasi dicat volo, et bonum est, vel mihi placeret omnes tales esse : forsitan si omnes boni essent, qui modo sunt, de illis impleretur numerus prædestinatorum.

QUÆSTIO LIX. *Vir non dimittat, etc.* Quæritur an vir uxorem dimittere possit, si convicta de adulterio fuerit ? Solutio. Potest eam dimittere. Item, an ille, vel illa altero vivente alii copulari possit, quæritur. Dicunt quidam, quod non potest.

QUÆSTIO LX. Quæritur an conjugium maneat adhuc scilicet post divortium ; si maneat, tunc vir habet potestatem corporis suæ uxoris, et e converso. Solutio. Manet, et potestatem habet ; sed non potest uti hac potestate, nisi reconciliatio facta fuerit.

QUÆSTIO LXI. Quæritur an inter infideles, vel inter fidelem et infidelem sit matrimonium : quod non videtur, cum scriptum sit : quod nullum conjugium, quod in Deo factum non fuerit, ratum sit. Solutio. Dicunt, quod conjugium est inter infideles, ut inter Priamum et Hecubam, et inter Philippum et Herodiadem. Unde Joannes arguebat Herodem de adulterio ; quia non licet ei habere uxorem fratris sui (*Matth. xiv*) : quod si ibi fuit adulterium et conjugium, ut dicit Chrysostomus.

QUÆSTIO LXII. *Quod si infidelis discedit, discedat.* Quæritur, si inter fidelem et infidelem est conjugium, quomodo Apostolus dicat : *Si voluerit discedere, discedat infidelis, et fidelis, alteri copuletur* (*I Cor. vii*), cum superius dicat, quod dimissa in nupta maneat : si enim verum conjugium, quomodo solvi potest ? si non est conjugium, quomodo persuadet simul manere, cum omnis copula præter legitimam sit fornicaria ? Solutio. Fidelis potestatem habet in corpore infidelis, sed non e converso ; quia, sicut legitur, injuria Creatoris solvit jus matrimonii : fidelis ergo potest manere, et discedere. Quia etiam debitum illud, quod debuit, ante solutum est ; sed potestatem quam habuit, non amisit. Infidelis vero discedens, si alii se junxerit, adulterium committit.

QUÆSTIO LXIII. De conjugii antiquorum solet quæri, an vera essent conjugia, quomodo unus plures uxores habens ad singulas lege maritali se habebat. Quomodo erat legitimus ibi consensus, individualem vitæ consuetudinem retinens. Solutio. Dicunt quidam quod non erant conjugia, sed vicem conjugii obtinebant. Alii vero dicunt, vera conjugia fuisse inter aliquos, et esse inter Judæos et

infideles : qui enim dicit, quod talium conjugium non est ratum, non negat esse conjugium, sed non esse ratum asserit.

QUÆSTIO LXIV. Quæritur an majus bonum sit conjugium quam virginitas. Et videtur quod sic ; quia majores angustiae, et dolores, et labores sunt in conjugio quam in virginitate, et merces unicuique secundum suum laborem reddetur. Solutio. Non est consequens, si major labor hic quam ibi quod ideo major gloria. Est enim virginitas majus bonum in se quam conjugium. Quidam tamen conjugati non sunt minoris meriti quam quaedam virgines.

QUÆSTIO LXV. *Nolite fieri servi hominum.* Superius dixit : *Servus vocatus es ? non sit tibi cura* (*I Cor. vii*) : quomodo ergo hic prohibet ne simus servi hominum ? Solutio. Monet, ne hominibus propter homines serviatur : quod fit, quando spes salutis in ipsis ponitur, ut illi, qui dicebant : *Ego sum Pauli, ego autem Apollonis* (*I Cor. i*).

QUÆSTIO LXVI. *Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat, etc.* Ex his verbis videtur fornicatio gravior cæteris peccatis : ubi enim major delectatio et major contemptus, sic et major offensa. Solutio. Quaedam delectatio ex pœna inflata pro originali peccato inest membris nostris : quæ licet sit major in delectatione cæteris peccatis, non tamen omnibus aliis peccatis major in reatu vel culpa esse videtur. Item volunt probare auctoritate Hieronymi, quod fornicatio gravior sit cæteris peccatis. C Dicit enim : Quanta præcessit in opere delectatio, tanta debet sequi in satisfactione mentis amaritudo, et sic videtur quod ubi major delectatio, ibi sit major culpa. Solutio. Hoc, ut arbitror, non dicitur in comparatione omnium aliorum ; sed in quolibet genere juxta quantitatem delectationis intelligitur quantitas criminis.

QUÆSTIO LXVII. *Unusquisque primum donum habet, etc.* Quæritur quomodo hoc sit verum, cum multi sunt, quibus nihil collatum est, unde salvari possint ? Solutio. Non loquitur, nisi de fidelibus, quorum sunt diversi gradus, ut continentia, conjugium, virginitas : in quibus possunt salvari, quasi diceret : Qui continere noluerit, descendat ad conjugium sibi a Deo concessum, ut in eo salvetur.

QUÆSTIO LXVIII. *Præterit enim figura.* Quæritur quomodo hoc verum sit, cum scriptum sit : *Terra in æternum stat* (*Eccle. i*). Solutio. Non dicit præterit mundus ; sed figura mundi, id est forma et species, quam modo habet, mutabit in formam meliorem : si tamen alicubi legatur, quod mundus transeat, hoc intelligendum est secundum formam, non secundum substantiam, quæ semper erit.

QUÆSTIO LXIX. *Qui non jungit, melius facit.* Propter majorem promerendi habilitatem. Sed quæritur qualiter major habilitas promerendi sit in virginitate, quam in conjugio : cum major pugna sit hic, quam ibi ? Si enim major difficultas merendi in conjugio, videtur esse majus præmium. Solutio. In vir-

ginitatē cum minore labore major profectus, et ideo major promerendi habilitas. In conjugio magnus labor, et parvus profectus: in quo gradu magnum est saltem stare.

QUÆSTIO LXX. *Puto autem, quod et ego spiritum Dei habeam.* Quæritur quem spiritum Dei dicat se Apostolus habuisse, ut acquiescerent Corinthii suo consilio? Si enim dicimus charitatem, non sufficit. Charitatem enim habere poterat, et non scientiam sicut plurimi; si descientia, non sufficit: multi enim scientiam habent, sed vita eorum non respondet verbis. Unde consilium talium merito potest improbari. Solutio. Per spiritum Dei utrumque intelligit scientiam et charitatem; quia in utroque excellebat Apostolus. Unde et consillio ejus acquiescendum erat.

QUÆSTIO LXXI. *Scientia inflat, etc.* (I Cor. viii.) Per se sine charitate, non ex qualitate sui; sed per occasionem, sicut lex, iram operatur. Sed de charitate videtur idem posse dici. Multi enim in profectu charitatis, et aliarum virtutum permanentes quandoque superbiunt, et sic corruunt. Sicut ergo occasio delinquendi ex scientia sumitur, sic ex charitate sumi videtur, quod non est concedendum. Ex charitate enim nullus occasionem mali sumit. *Non enim agit perperam; non inflatur* (I Cor. xiii). Solutio. Scientia res talis est, quod inflat: et tamen a Deo est, sicut divitiæ occasionem mali præbent, et tamen a Deo sunt; sicut etiam ligna habilia sunt ad comburendum, non tamen comburuntur nisi ignis apponatur; sic etiam scientia nunquam inflat nisi cor hominis accendatur. Charitas vero nunquam sic accendi potest? charitatem enim habere, et superbire quis potest?

QUÆSTIO LXXII. *Idolum nihil est.* Quæritur quomodo hoc sit verum, cum quolibet artificiale sit aliquid. Augustinus dicit: *Materia est a Deo, sed stultitia hominum formam dedit.* Sed iterum cum scriptum sit: *Omnis substantia, omnis forma, omnis conjunctio, et omnis compago fit a Deo:* quomodo forma idoli non sit a Deo, cum sit aliquid? Origenes dicit: *Idolum nihil est, id est nullius rei, quæ sit, habet similitudinem.* Vel idolum nihil est, id quod putant esse idolum, id est personam ex simulacro et spiritu præside: Vel (quod melius est) idolum nihil est, in mundo, id est in rebus mundi nullam habet potestatem, ut eas mutet in melius vel deterius. Unde idolothyta quantum in ipsis est, licet comedere; sed non coram infirmo, ne ille hoc faceret cum veneratione idoli.

QUÆSTIO LXXIII. *Nullus est Deus nisi unus.* Nonne Pater Deus, et Filius Deus est, et Spiritus sanctus est Deus, et Pater non est Filius, vel Spiritus sanctus? quomodo ergo nisi unus est Deus? Item Pater est Deus ingenitus, et Filius est Deus genitus, quomodo ergo unus est Deus? Solutio. Unus est Deus in natura, non in persona: quis autem sit sensus horum verborum, Deus unus in natura, non in persona? Magna quæstio inter modernos. Ut autem

loquar quod sentio, videntur mihi plures sapere hæresim Sabellianam, ignorantes multiplicem significationem hujus vocabuli, unus, vel unum, vel etiam singulus, vel substantia. Hæc tria enim vocabula aliter in theologia, aliter in communi usu loquendi accipiuntur, de quibus per se agendum est.

QUÆSTIO LXXIV. Quæritur an Pater noster dicendus sit Filius, vel Spiritus sanctus? Solutio. Non simpliciter, ne intelligatur persona ingenita: potest autem cum determinatione tali, scilicet secundum gratiam regenerationis: tota enim Trinitas communiter per gratiam suam nos regenerat in filios adoptionis.

QUÆSTIO LXXV. Item quæritur an Deus Trinitas sit Pater ille, qui æternaliter Pater est, an alius. Solutio. Non ille, nec alius, sed unus, et idem cum eodem.

QUÆSTIO LXXVI. Quæritur an angeli dicendi sint dii, sicut sancti homines dii dicuntur, sicut illud: *Ego dixi: Dii estis, et filii excelsi omnes* (Psal. lxxxii). Solutio. Non sunt dicendi dii angeli, ne videantur esse colendi ea servitute, quæ latria dicitur. Tribus modis dicitur Deus, substantive, ut Trinitas; per adoptionem, ut sancti; nuncupative, ut dii gentium.

QUÆSTIO LXXVII. *Nam conscientiam eorum, cum sit infirma, polluitur.* Quæritur quomodo dicat conscientiam eorum esse pollutam: nam si hoc pro Deo se facere credebant scilicet cum veneratione idolothyta comedere, nonne, si hoc dimitterent, peccarent, cum omne, quod ex fide non est, peccatum sit? Unde etiam Paulus, si non persequeretur Ecclesiam, tunc quando eam pro Deo persequendam esse credebat, peccaret. Solutio. Quia hoc faciebant creaturæ, ut Creatori, propter ignorantiam excusationem non habebant: adeo enim perversa mens eorum erat et excæcata, ut imaginem ligneam vel lapideam Deum esse putarent, unde convenienter dicit Apostolus: *Conscientia eorum, cum sit infirma polluitur* (I Cor. viii), non quod propter Deum polluitur. Nota quod propter Deum polluitur. Nota quod licet prædicatori a subjectis necessaria sumere, tamen sine scandalo hoc faciat.

QUÆSTIO LXXVIII. *Nunquid cura est Deo de bobus?* (I Cor. ix.) Nonne cura est Deo de omnibus? et si de omnibus quomodo non est ei cura de bobus? Solutio. Alia est providentiæ cura, quæ generaliter habetur de omnibus, alia est cura præceptionis, quam non habet Deus de bobus. Non enim dat præcepta hominibus, ut eos, qualiter boves nutrire debeant, doceat; hanc enim curam de solis hominibus habet.

QUÆSTIO LXXIX. *Factus sum Judæis tanquam Judæus.* Quæritur quomodo tanquam Judæus? an vere Judæus? Solutio. Vere usus est ritibus Judæorum, ut dicit Augustinus; non dispensatorie, ut dicit Hieronymus. Dispensatorie autem fieret, si malum esset, et tamen fieret ad tempus causa majoris boni, scilicet, ut per illud simulacrum ad ve-

ram Christi fidem converterentur. Diversi autem fuerunt in hoc duæ illæ columnæ Ecclesiæ : non tamen dicimus alterutrum mentitum fuisse, cum credere hoc vel illud non sit periculum fidei : de qua controversia dicetur in sequentibus.

QUÆSTIO LXXX. *Omnes eandem escam spiritalem manducaverunt (I Cor. x)* Quæritur, quomodo eandem ? Solutio. Idem significantem, vel idem efficientem. Eiusdem enim efficaciæ erat ille cibus cujus iste, ut volunt : quædam tamen sacramenta Veteris Testamenti ex sacramentis Novi Testamenti suam virtutem et efficaciam habent : sicut ex corpore Christi, quod est sacramentum, manna fidelibus sumptum habuit suam virtutem.

QUÆSTIO LXXXI. *Neque tentemus Christum sicut quidam eorum.* Tentat Deus, ut probet ; tentat diabolus, ut dejiciat ; tentat homo, ut exploret et sciat. Est itaque triplex tentatio. Prima est probationis, quæ bona est, ut illa Job. Secunda est deceptionis, quæ est experientia mentis ad deceptendum. Tertia est diffidentiae et desperationis, ut illa Judæorum dicentium : *Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto ? (Psal. LXXVII.)* Quæritur igitur, quomodo Judæi dicantur tentasse Christum, cum solum Deum Patrem et Deum Trinitatem coluisse videantur. Solutio. Ideo dicti sunt Judæi tentasse Christum, quia præcedentia omnia Christum figurabant ; hinc est quod hæc tentatio potius dicta est esse Christi quam Patris, licet non sit magis Filii quam Patris, licet dicatur.

QUÆSTIO LXXXII. *Et perierunt ab exterminatore,* id est, ab angelo percutiente eos extra terminos promissæ patriæ. Si autem quæretur an angelus ille fuerit bonus an malus, respondemus quod mali quandoque puniuntur a bonis, quandoque a malis ; boni vero non puniuntur nisi a malis.

QUÆSTIO LXXXIII. *In quos fines sæculorum devenerunt.* Nunquid autem in adventu Christi sæcula sunt finita ; si autem non sunt finita, quomodo finis est sæculorum ? Solutio. Sunt in nobis finita, quia cum diversi status præcesserunt vitæ, in quibus omnibus variatio et quædam expectatio adventus Christi fuit, nos vero alium vitæ statum non expectamus, quia inter hanc vitam et futuram nihil est medium : his autem qui adhuc Messiam expectant, nondum finis sæculorum advenit, ut miseris Judæis.

QUÆSTIO LXXXIV. *Fidelis Deus, qui non patietur,* etc. Quæritur quomodo dicat Deum non permittere aliquem tentari supra id quod potest, cum multi ex tentatione cadant, et a Deo separentur, et sic a diabolo superentur, et ita plusquam possunt sustinere tententur. Solutio. Quandiu cum Deo sunt non patitur eos tentari supra id quod possunt. Quod autem aliquid cedunt ex illis, est, quia nolunt resistere tentationi cum possint ; unde justum est ut adeo tententur, culpa eorum exigente. Permittit autem Deus aliquando aliquem tentari causa probationis, et ad conservationem

A virtutum : quæ tentatio providentiæ est ut Paulum, cui *datus est stimulus carnis (II Cor. XII)*, ad humilitatis conservationem.

QUÆSTIO LXXXV. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est.* Quæritur de hujus sacramenti nomine, quare dicatur eucharistia. Solutio. Sacramentum corporis et sanguinis Christi dicitur propter sui excellentem virtutem eucharistia, id est bona gratia, in quo sacramento non solum augmentum virtutis et gratiæ, sed ipse sumitur qui est fons et origo totius virtutis et gratiæ. In quo sacramento sunt tria : scilicet visibilis species panis et vini, et corpus et sanguis Christi, et gratia spiritualis. Primum est sacramentum secundi, secundum est res primi et sacramentum tertii, tertium est virtus primi et res secundi. Primum itaque est tantum sacramentum, secundum est et sacramentum et res, tertium vero tantum res. Habet ergo sacramentum primum res duas, unam signatam est contentam, scilicet verum corpus et sanguinem Christi ; alteram signatam, et non contentam, scilicet unitatem Ecclesiæ.

QUÆSTIO LXXXVI. Quæritur item quare post sacramentum typici agni Dominus dederit discipulis suis sacramentum corporis et sanguinis sui ? Solutio. Ut ostenderet sacramenta legalia, inter quæ præcipuum erat sacramentum agni Paschalis, debere cessare, et sacramentum novæ legis substitui : inter quæ primum locum tenet eucharistia : C ideo etiam ut hoc sacramentum arctius imprimeret, atque tenacius memoriæ discipulorum commendaret.

QUÆSTIO LXXXVII. Deinde quæritur cur sub alia specie, et non sub propria, hoc sacramentum dederit ? Solutio. Ut fides haberet meritum, quæ est de invisibilibus, quia fides non habet meritum, cum ratio humana præbet experimentum ; et ne obhorreret oculus quod tenet manus, et ne ab incredulis nobis insultaretur.

QUÆSTIO LXXXVIII. Item quæritur cur sub hac specie potius quam sub alia. Solutio. Quia res hujus speciei expressam habet similitudinem cum utraque re hujus sacramenti quia sicut panis ex multis granis, et vinum ex multis uvis, sic corpus Christi materiale ex multis membris, et spirituale ex multis fidelibus constat. Et sicut in pane, et vino plena et principalis refectio corporum est, sic in hoc sacramento plena et principalis est refectio animarum, quia per edulium carnis venit ad gustum divinitatis.

QUÆSTIO LXXXIX. Item quæritur : cum totus Christus sumatur sub utraque specie, quare non sub una tantum, sed sub duplici sumatur ? Solutio. Ideo sub duabus speciebus, ut ostendatur quod totum hominem assumpsit, ut totum hominem sanaret ; corpus enim propter corpus, animam propter animam assumpsit, et panis in carnem, et vinum in sanguinem mutatur. Ideo utique sub duabus speciebus sumitur, ut animæ et corporis in

pter quosdam nolentes concedere, quod partes omnes alicujus totius simul junctæ recipiant nomen totius, cum etiam dicatur in symbolo Athanasii, anima et caro sunt unus homo.

QUÆSTIO CXVI. *Si habuero omnem fidem, charitatem autem, etc.* (I Cor. XIII.) Hic Apostolus manifeste ostendit quod fides, et cætera dona non possunt haberi sine charitate. Quæritur ergo imprimis, de qua fide hic agatur, an de fide catholica, an de alia? sed non de alia, quia per aliam non possunt montes transferri de loco ad locum, sicut per hanc, de qua hic agit: ergo de fide catholica hic agit: unde constat, quod ipsa potest haberi sine charitate, et sic a malis potest haberi, quod multi negant. Est autem, secundum hos, fides catholica, fides operans per dilectionem. A quibus quæri potest an unum vocent? an duo fidem per dilectionem operantem, hoc autem totum unum esse non potest? Qui enim fidem sic habet, non solum credit, sed etiam diligit. Hæc autem duo in malis esse non possunt, sed quantum in fide est simpliciter hoc totum, in malo etiam in diabolo esse potest. Quid enim credit iste bonus quod non credit iste malus. Nonne iste malus, vel etiam diabolus, credit quod Christus mortuus est, et a morte resuscitatus, et cætera quæ credenda sunt, quæ ad fidem sunt necessaria. Sed objicitur secundum hoc, quod diabolus habet fidem catholicam, et sic fit catholicus. Solutio. Catholicus duobus modis dicitur, et qui catholice vivit, vitam Christi imitando: et catholicus dicitur, qui omnia credit credenda, sive habeat charitatem, sive non. Concedunt quidam quod etiam diabolus secundum aliam acceptionem possit dici catholicus, quod nostri auribus graviter sonat, maxime cum illa cognitio, quod ille habet de Christo, magis sit ex naturæ subtilitate, quod ex Christianæ fidei inspiratione.

QUÆSTIO CXVII. *Charitas est fons proprius bonorum, etc.* Quæritur, an charitas possit haberi ab iis qui sunt damnandi. Nonne ipsi sunt alieni, qui non communicant fonte proprio bonorum. Solutio. Ideo charitas dicitur fons proprius bonorum, quia nemo potest simul charitatem habere, et malus esse.

QUÆSTIO CXVIII. *Charitas nunquam excidit, etc.* Quæritur an charitas semel habita nunquam amittitur. Nam, si nunquam excidit, et nunquam amittitur, ergo ii qui damnandi sunt aliquando charitatem habere non possunt. Solutio. Ideo charitas dicitur nunquam excidere, quia habetur hic et in futuro, in præsentem vero habita amittitur, et amissa iterum recuperatur.

QUÆSTIO CXIX. *Scientia destruetur, etc.* Quæritur quomodo dicat scientiam destrui in futuro. Nunquid non habebimus cognitionem in futuro earum rerum, quarum nunc habemus? Habebimus quidem, et multo majorem quam habeamus in præsentem: quomodo ergo scientia destruetur? Solutio. Dicunt quidam quod scientia destruetur a sua partialitate et imperfectione, ut non sit partialis et imperfecta. Sed

hoc est eam augeri et perfici, et non destrui, quia eodem modo potest dici de charitate, quod ipsa sit destruenda. Sicut enim imperfecte cognoscimus: ita imperfecte diligimus, et cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.

Solutio. Dicunt quidam, quod non scientia, sed modus ejus ænigmaticus et umbratilis destruendus est. Sed iterum eadem ratione et charitas videtur esse destruenda: cujus modus scilicet imperfectionis in futuro est evacuandus. Ad hoc respondetur quod verum est quod modus imperfectionis tollitur a charitate, sed non omnis modus. In futuro enim diligetur propter se, et propter Deum proximum, sicut in præsentem diligitur. Alii etiam dicunt quod actus scientiæ in futuro destruetur. Charitas vero, quæ nunc est, nec ejus actus, nec quidam modus in futuro destruetur: fides autem, et spes ex toto evacuabuntur: scientia vero ex parte destruetur: cujus actus et modus non erit.

QUÆSTIO CXX. Sed est alia quæstio, quæ nos magis urget: verum est, et negari non potest, quin charitas in præsentem sit comparatione futuri imperfecta, sed Apostolus probat tali argumento, quod prophetiæ evacuabuntur, et quod scientia destruetur: *Ex parte scimus, et ex parte prophetamus: cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est*: cum ergo charitas ex parte est, consimili argumento ipsa evacuabitur, cum venerit quod perfectum est. Solutio. Nos autem dicimus quod alia ratione dicitur scientia, vel prophetia ex parte, alia ratione charitas imperfecta. Ex eo enim quod quidam cognoscunt, quidam non cognoscunt, prophetia vel doctrina habet locum in hoc præsentem, ubi alius alium docet et instruit. In futuro vero ubi omnes erunt docibiles Dei, quando omnes a maximo usque ad minimum cognoscent Deum plene et perfecte, tunc doctrina hominum non habebit locum: quando nemo dicet fratri suo: Cognosce Deum. Ideoque scientia, id est doctrina, evacuabitur. Charitas autem non sic dicitur ex parte esse. Non enim ideo habet esse, quia quidam diligunt, et quidam non diligunt: imo multo verius erit quando omnes diligunt perfecte. Nota, ænigma est obscura similitudo, et sicut in præsentem omnis creatura est quasi quoddam speculum, in quo videtur Deus: sic in futuro ipse Deus erit speculum omnis creaturæ, in quo omnia videbuntur verius, quam in semetipsis. Hinc est secundum quosdam quare scientia sit destruenda: quia umbratilis iste modus cognoscendi, quem nunc habemus, plena cognitione accedente non erit.

QUÆSTIO CXXI. Charitati non possunt fides et spes deesse: fides vero et spes sine charitate esse possunt. Dicunt tamen quidam, ut supra dictum est, quod fides sine charitate esse non potest: quorum error hic destruitur. Cum enim dicit: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum*: innuit manifeste, quod fides etiam perfecta potest haberi sine chari-

tate. Et expositor in prædictis verbis manifeste eos arguit dicens, quod fides et spes sine charitate esse possunt.

QUÆSTIO CXXII. De spe vero quæri potest quomodo ipsa sine charitate esse possit. Nonne spes est fiducia futurorum bonorum ex præcedentibus meritis veniens? Hæc autem non potest esse sine charitate. Itaque videtur quod sine charitate spes esse non possit. Item si spes est, ut aliis videtur, exspectatio futuri commodi, jam præsumptio erit potius quam spes, si certus sum quod remunerabit, licet sint nulla merita. Ad hoc responderi potest, quod duplex est spes: remunerationis, et promerendi: spes vero promerendi sine charitate non esse potest, spes autem remunerationis non potest haberi sine charitate.

QUÆSTIO CXXIII. *Qui loquitur lingua; non hominibus loquitur, sed Deo (I Cor. XIV).* Quæritur quid sit loqui lingua? Solutio. Alii dicunt quod loqui lingua est loqui parabolice; alii lingua incognita. Augustinus dicit quod prolatio signorum, quæ spiritus in spiritu hominis informat, dicitur esse loqui lingua. Unde Apostolus ait: *Spiritus loquitur mysteria (Ibid.)*. Idem enim dicit loqui lingua, et loqui spiritu. Spiritus sanctus in primitiva Ecclesia formabat ad conversionem fidelium signa cœlestium secretorum in mentibus fidelium, et prolationem talium vocat loqui linguis Apostolus. Notandum vero quod illi qui linguis loquebantur, quandoque intelligebant, quandoque non intelligebant. Sed dicit quis: Si ille, qui loquitur lingua, intelligit quod dicit, jam hoc est non loqui lingua, sed prophetare. Solutio. Licet ipse intelligat, nisi ipsis aliis exponat, non prophetat, sed tantum loquitur lingua. Nota quædam fieri in Ecclesia ad solum decorem, non adeo ad necessitatem: inter quæ continetur loqui linguis.

QUÆSTIO CXXIV. *Eritis loquentes in aera, etc.* Ex his verbis arbitrantur quidam quod loqui linguis sit loqui diversis generibus linguarum, sed non est hoc verum: imo ad hoc inducit Apostolus istud, ut ostendat, loqui linguis sine interpretatione parvam habere utilitatem, sicut loqui omnibus generibus linguarum potius confusionem quam ædificationem faceret his, qui nullam eorum intelligerent.

QUÆSTIO CXXV. *Si nesciero virtutem vocis.* Quæritur quid vocet virtutem vocis. Solutio. Vocis significationem, vocat vocis virtutem.

QUÆSTIO CXXVI. Quæritur etiam quare hujusmodi locutio lingua fieri dicatur. Solutio. Ideo hoc fit quia quod in lingua est, in voce et in prolatione est: quod vero in corde est, in intellectu est: quia in corde intelligentia est: unde quia hæc locutio tantum in prolatione est, et non in intelligentia, ideo lingua fieri dicitur: spiritu etiam, et non mente. Est enim spiritus vis animæ inferior mente, in qua imagines rerum confuse comprehenduntur. Est enim visibilium imaginaria et confusa comprehensio, sine discretionem proprietatum eorum, quæ

A comprehenduntur: qualis fuit illa Pharaonis de vaccis et spicis visio: ipse enim tantum imagines videbat. Joseph vero in intellectu de his habuit Dei revelationem.

QUÆSTIO CXXVII. Quæritur quid verba sic prolata significant: quando quis sic lingua loquitur, ut hoc exemplum ponamus: *Exit qui seminat seminare semen suum*. Nam si hæc est vocis significatio, ipsa vera fuit: quæritur ergo, si id ea dicitur, quod ea proprie significatur: si dicatur ita esse, infertur, ergo quoddam falsum ea significatur. Ad hoc respondent quidam dicentes: Non est vocis significatio quærenda in hujusmodi, sed rerum tantum, quod pertinet ad allegoriam. Alii dicunt, ut licentius loquantur, quia proprie quidem falsum significat: non tamen ea falsum dicitur: quia non ibi dictum terminatur: non enim est finis locutionis illa prima vocis significatio, sed secunda, quæ allegorica dicitur. Potest autem dici, quod locutio ipsa neque verum neque falsum significat: res enim ibi tantum significant verum, quod ibi mystice intelligitur. Nec nego quin ibi sit vocis significatio, sed tantum incomplexe, quia hæc vox, homo, significat hominem, et sic de cæteris: sed non significant complexe; non enim conjuncte significant, ut verum vel falsum significetur, sed ut res significant illas: quibus verum significatur. Vel potest dici, quod propositio ipsa ex rerum proprietate, quæ significantur: ad illud significandum quod mystice intelligitur assumitur, ut hæc vox, semen, verbum Dei significat, ex proprietate rei quam significat.

QUÆSTIO CXXVIII. *Christus mortuus est pro peccatis nostris, etc. (I Cor. xv.)* Quæritur an Christus secundum carnem moriendi habuit necessitatem? Quod autem habuit moriendi necessitatem, videtur velle auctoritas super locum illum. Quemadmodum statutum est hominibus semel mori: *post hoc autem iudicium: sic Christus semel oblatus est (Hebr. ix)*; sic, id est eadem necessitate et jure naturæ; quo cæteri moriuntur. Item dicit auctoritas, *quia voluit oblatus est (Isai. LIII)*. Igitur sola voluntate, quomodo ergo necessitate? Solutio. Constat quod in Christo nulla erat causa moriendi, quia nullum peccatum: tamen, ut volunt quidam, inter cæteras pœnalitates, etiam necessitatem moriendi voluntarie suscepit, et sic hæc necessitas non impedit voluntatem, quam, sicut quando voluit, accepit: sic eam, quando voluit, deposuit: si enim, inquit, aliquod majus beneficium non esset collatum carni assumptæ, necessario subjaceret legi naturæ: quam etiam necessitatem quidam intelligunt per mortalitatem.

QUÆSTIO CXXIX. *Ego sum minimus apostolorum, etc.* Quæritur quomodo Apostolus se dicat minimum apostolorum, cum majoris meriti sit meritis aliorum: plus enim omnibus laboravit. Solutio. Hoc dicit secundum priorem statum, non secundum præsentem, in quo non minimus apostolorum fuit, sed maximus. Sed objicitur: Non enim

dicit : Ego fui minimus, sed *ego sum minimus apostolorum* : igitur cum non sit inter minimos, sed potius inter primos, videtur quod mentiatur, et sic ad mortem peccare : quia *os, quod mentitur, occidit animam* (Sap. 1). Solutio. Sensus est : Ego sum minimus apostolorum, id est me aliis non præfero, sed potius alios mihi : nimirum, omnia enim peccata sua, præterita vel præsentia, occulta vel manifesta, habebat ante oculos suos : aliorum vero simplicitatem et innocentiam consideravit, et sic secundum hanc considerationem humiliora de se sentiebat : sicut enim superbus si qua bona habet, illa semper attendit, et aliorum infirmitates, unde se solum magnum arbitratur, alios vilipendens : sic humilis suas infirmitates sine intermissione videt, bona vero aliorum perpendit : hinc est quod sancti, cum sint majores, se humiliores sentiunt, nec est fallens opinio, quia bona, quæ habent, non sua, sed Dei munera esse judicant, mala vero, quibus subjacent, sua esse sciunt.

QUÆSTIO CXXX. *Gratia Dei sum id quod sum, etc.* Quæritur de qua gratia loquatur. Siquidem de gratia Dei operante, et cooperante, sive gratia præveniente, et gratia subsequente, jam in superioribus dictum est : gratia enim præveniens, vel operans eadem est : quæ operatur in nobis sine nobis, scilicet præparando, et sanando liberum arbitrium, ut bonum velit, quam notat Apostolus dicens : *Gratia Dei sum id quod sum : gratia vero subsequens, vel cooperans una et eadem est, quæ operatur in nobis, non sine nobis, subsequendo, et adjuvando, ne frustra velimus, quam notat Apostolus dicens : Et gratia ejus in me vacua non fuit, quia omnibus plus laboravi : non autem ego, sed gratia Dei mecum.* Ex hoc itaque, quod dicit : *Ego sum id quod sum gratia Dei*, destruitur error Pelagianorum, qui dicebant liberum arbitrium ad salutem promerendam sufficere. Item ex eo quod supponit, *et gratia ejus in me vacua non fuit*, hominem ostendit ex libero arbitrio aliquid posse, quod quidam hæretici negant dicentes, quod homo nil promereri potest. Apostolus vero demonstrat hominem ex se quidem nil posse, sed tantum ex gratia superveniente : oportet enim hominem gratia præveniri : deinde liberum arbitrium, jam a gratia præventum ipsi gratiæ cooperari debet : cuius natura talis est ut relucere et cooperari possit, sicut radio solis oculus tactus videre potest. Quod ergo homo operatur, ex gratia est cui cooperatur. Quædam enim gratia, ut jam dictum est, operatur sine adjutorio hominis, quia compungit mentem, et excitat, homo vero sine gratia, nec consentire potest gratiæ, nec aliud quidquam efficere, sed gratiæ trahenti et ducenti innititur, et sic gratia adjutus promeretur. Ex quo patet quod non tantum gratia est, quando homo aliquid boni facit, sed etiam ex libero arbitrio, licet totum sit opus gratiæ, vel per se, vel cum homine operantis. Sunt itaque quædam ex sola gratia, quædam ex gratia et homine.

A QUÆSTIO CXXXI. *Si resurrectio mortuorum non est, nec Christus resurrexit.* Quæritur de hypothetica an sit vera, et quomodo sit intelligenda. Solutio. Vera est, et sic intelligitur : Si impossibile esset mortuos resurgere, ut quidam hæretici dicebant, nec Christum surrexisse est possibile ; vel si sancti non essent resurrecturi, nec verum esset quod Christus resurrexit ; quia totum quod fecit in carne, moriendo, patiendo, resurgendo, pro nobis fecit.

B QUÆSTIO CXXXII. *Si Christus non resurrexit, inanis est fides nostra.* Quæritur quomodo dicat Apostolus inanem esse fidem nostram : et *miserabiliores sumus omnibus hominibus* (I Cor. xv), si non erit resurrectio mortuorum vel corporum. Nam cum anima immortalis, et ipsa sola capax sit visionis Dei, et sic sola habere beatitudinem possit, nonne beati esse possumus sine corporum resurrectione ? Et ad idem :

C QUÆSTIO CXXXIII. Quæritur ad quid erit corporum resurrectio, cum eis ibi opus non erit, ubi Christus erit omnia in omnibus, nec ipsa beatitudinem suscipere possint, quæ erit solius animæ ? Solutio. Videndum est diligenter quid dicatur, et secundum quid. Quod enim ait : *Miserabiliores sumus omnibus hominibus, non secundum animam, sed secundum corpus dicit.* Hic enim majorem miseriam aliis passus est Apostolus. Est autem corporum resurrectio, ut et secunda gloriemur stola : claritas enim illa, quæ in corpore erit : ad augmentum beatitudinis ipsius erit, ut quod prius habuit ad miseriam, jam habeat ad gloriam et decorem. Probat Apostolus resurrectionem mortuorum per resurrectionem Christi : quæ ideo tantum facta est, ut resurrectio corporum crederetur, et fieret : *Cum tradiderit regnum Deo et Patri* (Ibid.), id est cum Ecclesiam, in qua modo regnat per fidem, per cognitionem, quam habuit de Filio, ad Patris cognitionem et visionem perducat.

D QUÆSTIO CXXXIV. *Donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus.* Quæritur quomodo dicat quod oportet Christum regnare : *Donec ponat, etc.* (Ibid.) Nonne in æternum regnabit, et præcipue inimicis subditis ? Solutio. In locis similibus, donec, ponitur pro in æternum : si enim tunc, quando habet adversarios, regnat, constat quod regnabit omnibus sibi subjectis, et sic in æternum regnabit.

QUÆSTIO CXXXV. *Tunc, et ipse Filius subjectus erit illi, qui subjecit sibi omnia.* Quæritur secundum quam naturam Filium subjectum Patri dicat. Nam si secundum divinam, eo minor erit : quod falsum est, quia secundum divinitatem æqualis est Patri. Item si secundum humanam hoc sit dictum, tunc secundum eam omnia sunt subjecta ei : et secundum humanam est Dominus omnium : quare et Creator, et sic secundum eandem videtur esse æqualis Patri ; secundum quam minor eo est : unde legitur : *Æqualis Patri secundum divinitatem ; minor Patre secundum humanitatem.* Solutio. Potest

hoc sane intelligi secundum utramque naturam, scilicet divinam et humanam, secundum humanam omnia sunt subjecta ei, secundum quam ad æqualitatem Patris sublimatus est, dum verbo consubstantiali Patri, in unam personam, humana natura unita est, secundum quam plenitudinem donorum et ipse accepit; de qua *plenitudine nos omnes accepimus* (Joan. 1), et sic ei subjecti. Item secundum divinam naturam quidam sic intelligunt, quod subjectus est Filius Patri, quia ab eo habet esse, a quo habet quidquid habet. Juxta illud: *Doctrina mea non est mea* (Joan. vii). Item: *Pater major me est* (Joan. xiv). Quod nonnulli secundum divinam naturam intelligi volunt. In hujusmodi verbo notatur distinctio, quia Filius a Patre, non Pater a Filio est; unde Pater principium Deitatis dicitur, quia a nullo est, et ab ipso tam Filius, quam Spiritus sanctus est. Est enim Pater principium, non de principio Filius principium de principio; Spiritus sanctus ab utroque procedens, sed hujusmodi non nisi convenienti et loco et tempore dicenda sunt, ne infirmi scandalum incurrant.

QUÆSTIO CXXXVI. *In dispari claritate erit par gaudium.* Quæritur si dispar claritas, quomodo gaudium par possit esse? Nonne juxta quantitatem claritatis, erit quantitas gaudii! Nonne ipsa claritas erit ipsum gaudium? Item si unus altero beator, alter altero majus gaudium habebit, quomodo ergo par gaudium erit? Item gaudium omnium nonne erit singulorum? quomodo ergo in dispari claritate erit par gaudium? Si idem numerus omnibus dabitur, quomodo dispar claritas? si par gaudium erit, ergo gaudium Petri erit gaudium Martini. Solutio. Aliud est gaudium experientiae, aliud voluntatis; ut gaudium Petri renumerationis est, et experientiae, Martino vero non experientiae, sed affectus est. Tantum enim placet illi bonum Petri, quantum ipsi Petro, non tamen in se sentit, et experitur tantam beatitudinem, quantam Petrus sentit. Est itaque differens beatitudo secundum quantitatem, licet sit eadem secundum qualitatem. Veluti ergo de sanitate alicujus convalescentis ex infirmitate, tantum gaudeo, quantum ipse, affectu, et si non experientia, quia sanitatem in me non sentio, quam ipse experitur. Sicut duo eodem lecto conteguntur, alter tamen plus calet: sic in una visione Dei, unus intensius gaudebit, quam alter. Sed nullus inferior, nulli majori invidet, nec majus gaudium superioris sibi desiderabit, quia unusquisque tantum habebit, quantum volet, alioquin non esset beatus. Ibi vita sine morte, notitia sine errore, amor sine offensione. Ibi videbitur finis desideriorum nostrorum scilicet Deus sine fine, ambitur sine fastidio, laudabitur sine fatigue.

QUÆSTIO CXXXVII. *Seminatur corpus animale, etc.* Quæritur an corpus ab anima, an anima a corpore habeat animalitatem, id est sensualitatem? Solutio. Nec corpus animalitatem, nisi ab anima habere potest; nec animalis, id est, sensualitatem

A habens, esset anima non corpori conjuncta. Videtur itaque animalitas nosci ex utriusque conjunctione, anima tamen sola sentit per corpus, corpus vero ea suscipit, non etiam sentit. Prius enim homo sic creatus est, ut ex creatione passibilis esset, nunquam tamen pateretur, nisi peccasset. Unde et dictus est immortalis fuisse ante peccatum, quia poterat non mori, poterat enim non peccare, quia si non peccasset non moreretur.

QUÆSTIO CXXXVIII. Solet item quæri, cum dictus sit mortalis, et quodammodo immortalis homo ante peccatum, an utrumque habuit ex natura, an neutrum an alterum tantum. Solutio. Salva reverentia secretorum, sine præjudicio melioris sententiæ dicimus quod naturaliter fuit homo ante peccatum mortalis et passibilis; beneficio vero ligni vitæ fieret immortalis: unde doctores non dicunt simpliciter illum tunc fuisse immortalem; sed addunt quodam modo, et determinant quomodo: mortalem vero simpliciter eum pronuntiant fuisse, juxta hoc dictum est: Primus homo factus est in animam viventem, id est in animam, quæ corpus vegetaret et vivificaret, non sicut cibus non indigeret.

QUÆSTIO CXXXIX. *Hæc autem dico, fratres, quod caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt; neque corruptio incorruptelam.* Quæritur igitur quæ corpora habituri sumus. Solutio. Eadem corpora, quæ nunc habemus: post resurrectionem habebimus, sed immutata non secundum substantiam, sed secundum qualitatem: hæc dissolubilia; illa vero indissolubilia; sed honorum impassibilia, malorum vero passibilia unde ipsa tanquam in morte perpetua erunt. Quod autem indissolubilia, erunt, docet Apostolus, dicens: Caro, et sanguis regnum Dei non possidebunt (*Ibid.*) Quod autem impassibilia corpora habituri sunt, insinuat Apostolus, dicens: *sed omnes immutabimur* (*Ibid.*).

QUÆSTIO CXL. *Canet enim tuba, etc.* Quæritur, quid nomine tubæ significetur? Solutio. Dicunt doctores, quod aliquod evidens et præclarum signum, sic vocat Apostolus, quo mysterium futuræ resurrectionis implebitur: quæ tuba alibi vocatur clamor, alibi vox archangeli vel vox Christi.

D QUÆSTIO CXLI. Quæritur etiam de voce tubæ, an futura sit materialis? Solutio. Patet quod vox materialis, erit ministerio angeli facta; quia sicut per tubam convocabatur populus Judæorum ad festum vel ad bellum, sic tunc ad judicium vocabuntur, vel aliquod evidens signum, quo idem fiat, quod voce fieri solet.

QUÆSTIO CXLII. *Absorpta est mors in victoria.* Quæritur quæ mors, et in qua victoria sic absorpta? mortis enim nomine quandoque diabolus, qui est auctor mortis, quandoque peccatum, quod separat a Deo, quandoque dissolutio animæ et corporis significatur. Solutio. Potest sane intelligi et de diabolo, et de peccato, et dissolutione animæ et corporis. Constat quod in victoria Dominicæ resurrectionis sit absor-

ptus diabolus : ne dominetur, sicut ante, quando timore mortis compellebantur homines ad quodlibet scelus ; nunc autem sancti mortem contemnunt : maxime autem in fura generali omnium resurrectione omnis mors absorbebitur, quando hoc mortale inducet incorruptelam.

QUÆSTIO CXLIII. *Virtus vero peccati lex.* Qualiter hoc sit intelligendum : ex his, quæ dicta sunt, super epistolam ad Romanos, facile potest perpendi : lege enim data, et carnalis concupiscentia invaluit, et prævaricatio accessit. Lex enim prohibendo auget concupiscentiam, nisi Spiritus sanctus infundat charitatem.

QUÆSTIO CXLIV. *Itaque fratres stabiles estote, et immobiles.* Quæritur in quo hæc duo differunt. Solutio. Stabiles in fide, ne per se moveantur pede superbia ; immobiles in tentationibus, ne manu peccatorum impellente fidem deserant. Tria sunt genera tentationum : unum violentum, aliud fraudulentum, tertium violentum et fraudulentum. Primum fit per apertas persecutiones ; secundum per falsos fratres et hæreticos ; tertium fiet per Antichristum. Omne

genus autem tentationum immittit diabolus : unde et leo dictus est aperte sæviendo, draco occulte et latenter seducendo : unde scriptum est : *Sub lingua ejus labor, et dolor (Psal. x).*

QUÆSTIO CXLV. *De Apollo notum facio vobis, quod multum rogavi eum, ut veniret ad vos, sed non fuit voluntas ejus, ut nunc veniret (I Cor. xvi).* Quæritur uter irrationabiliter egerit, an Paulus rogando, ut iret ; an Apollo non acquiescendo quia videtur aut hic non rogasse quod decuit, aut ille omisisse quod facere debuit ? Solutio. Verum est quod uterque rationabiliter egit, quia Apostolus rogavit, ut hoc faceret ; unde Apollo, quia sic petebatur, videbat magis dimittendam Apostoli petitionem, quare non acquievit.

QUÆSTIO CXLVI. *Salutate invicem in osculo sancto.* Quæritur quare adjecit, sancto ? Solutio. Est osculum lasciviæ, est osculum prodicionis, ut Judæ, est osculum sanctitatis et concordia, ut quod interius appareat, scilicet vinculum charitatis, etc. De hoc ergo dicit, ut cætera excludat.

III

IN EPISTOLAM II AD CORINTHIOS.

(II COR. I.) *Paulus apostolus, etc.* Hæc est secunda epistola, quæ Corinthiis destinatur. Scribit autem aliquando duas, aliquando unum epistolam tantum Apostolus ; sed nec, cum unam, aliquid diminutum et imperfectum, nec cum duas aliquid superfluum dicit, ut hic videri potest. Nam hæc epistola, quæ sequitur, consummatio et confirmatio est præcedentis. In hac enim secunda, monet eos corrigi, qui nondum per præcedentem epistolam erant correcti. Notat eos, quod in eleemosynis erant parci. Correctum fornicatorem precipit recipi. Unde patet quæ hujus materia epistolæ sit, quæ etiam intentio. Est autem materia specialis status Corinthiorum, in quo tunc erant. Intentio vero ad unitatem et integritatem fidei revocare. In hoc autem statu specialem generalem Ecclesiæ statum signat, et informat, et omnes ad unitatem fidei invitat. Præmittit more suo, et aliorum, scribentium epistolas, salutationes eorum, quibus scribit, captando benevolentiam : unde et dicit, Paulus apostolus, conjungendo nomen humilitatis et nomen dignitatis, ut dignitatis excellentiam humilitas comes temperet, sine qua omnis virtus cassa et inanis. Item Jesu Christi, Jesus est nomen personæ. Fuerint autem plures hoc nomine dicti, ut Jesus Nave, Jesus magnus sacerdos, sed et omnes nuncupative. Christus vero solus substantive, quia et nomen, et rem habuit : qui Salvator mundi vere fuit. Interpretatur enim Jesus *Salvator* : Christus vero nomen personæ,

quod utramque complectitur naturam. Est enim nomen officii, ut sacerdos, miles, et interpretatur *unctus*. In Veteri Testamento duæ ungebantur personæ, regalis et sacerdotalis ; Christus vero unctus est unctione regali, qui secundum divinam naturam suos regere potuit ; secundum vero naturam humanam offerendi potestatem accepit, qui semetipsum obulit Deo Patri : unde ex officio regali et sacerdotali Christus dicitur. Voluntas Dei multis modis accipitur, ut jam superius dictum est, et iterum dicere non erit superfluum. Dicitur enim voluntas Dei ipsa dispositio, et beneplacitum. Unde : *Omnia quaecunque voluit fecit (Psalm. cxxxiv).* Dicitur etiam voluntas Dei, consilium, vel præceptum : unde dicitur : *Deus vult omnes salvos fieri (I Tim. ii)*, id est, consulit et præcipit ea facere : per quæ salventur, ut sunt prohibitio, vel permissio, et si qua hujusmodi.

QUÆSTIO I. *Cum ego voluissem hoc, nunquid levitate usus sum ?* Quæritur ergo utrum Apostolus mentitus fuerit, promittendo se venturum, cum non veniret : ipse enim dixit, veniam, et non venit : ergo apud ipsum erat est, et non, id est, affirmatio et negatio de eodem, et sic mendacium, et sic reus mendacii. Solutio. Mendacium est falsa vocis significatio cum intentione fallendi : unde qui dicit falsum, quod putat verum : non est judicandus mendax, cum potius fallatur, quam fallat. Quicumque vero cum intentione fallendi verum dicit vel falsum, reus est

mendacii : unde colligitur, quod aliquis dicens verum, reus est mendacii, sive mentitur : et quod aliquis dicit falsum, non tamen mentitur vel reus est mendacii.

QUÆSTIO II. Quæritur autem de iis, qui pie mentiuntur, an mendacii rei sint, ut obstetrices illæ Ægyptiæ ? Nam ex intentione fallendi falsum pronuntiabant. Solutio. Qui sic mentiuntur peccant, et dum vitæ aliorum provident, contra conscientiam suam agentes, veritatem offendunt, et animæ propriæ periculum incurrunt.

QUÆSTIO III. Item de iis quæritur qui joco falsum dicunt. Solutio. Aliquando sic jocari malum est, aliquando non ; si vero ex consuetudine, sic peccatum est.

QUÆSTIO IV. *Aliis quidem odor mortis in mortem, etc. (II Cor. II.)* Quæritur an odor mortis sit bonus an malus, cum Apostolus dicat se esse odorem, aliis in mortem, aliis in vitam : si enim bonus quomodo in mortem. Item si malus, quomodo bonus Deo ? Solutio. Apostolus non erat nisi odor bonus, et tamen hoc odore bono alii moriebantur, id est, occasionem per invidiam sumebant, sicut lex bona, et tamen occasio mali quia prævaricationis.

QUÆSTIO V. *Non quod sufficientes simus, etc. (II Cor. III.)* Hic quæritur quomodo dicat Apostolus, quod sufficientes non sumus aliquid a nobis cogitare, cum mala ex nobis et cogitare, et facere possimus. Item cum quædam naturaliter possimus facere, quæ neque ad præmium neque ad pœnam sunt, hæc autem sunt illa quæ a prima creatione data sunt nobis, ut digitum erigere, curvare, deponere, et hujusmodi. Solutio. Apostolus hic agit de bonis illis, quæ meritum habent apud Deum, quæ nullo modo possunt sine gratia superveniente et juvante fieri. Unde *Misericordia ejus præveniet me (Psal. LVIII), et misericordia ejus subsequetur (Psal. XXII)*. Gratia enim prævenit voluntatem, ut velit, et subsequitur, ne frustra velit. Unde Apostolus hic destruit errorem illorum, qui dicebant initium boni naturaliter non posse esse sine gratia, sed boni consummationem esse ex nobis : in hoc quod dicit, sed sufficientia nostra ex Deo est. Ex libero enim arbitrio facultatem bene operandi habemus, non tamen hac facultate uti possumus nisi gratia adjuvante. Est enim liberum arbitrium per culpam ita depressum, ut potentia sua uti non possit, nisi erigatur a gratia et adjuvetur, sicut cum potestatem equitandi habeam, non tamen hujus potentiæ exercitium habere possum absque equo.

QUÆSTIO VI. *Littera occidit, spiritus autem vivificat, etc.* Quæritur quomodo littera dicatur occidere : nunquid talia præcipit, quæ observata occidant ? quomodo ergo stabit quod alibi dicit Apostolus, quod *lex sancta est, et mandatum sanctum, bonum et justum*, si præcepta occidant ? Item si dicatur quod littera sine spiritu, id est sine gratia, occidat, idem de Evangelio dici posse videtur.

A Item si dicatur littera ideo occidere, quia non possunt omnia ad litteram ibi observari : non pereat, qui ea observaverit : eodem modo dici potest de Evangelio. Nam si hoc, *nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, etc. (Joan. VI)*, ad litteram observatur, id est, ut littera sonat, ut sic manducare, et bibere intelligamus, hic, sicut alibi, stultum et damnabile est. Solutio : Littera sine spiritu occidit, id est, sine gratia, quia occasio mortis est, sicut scientia absque charitate inflat. Littera vero Evangelii non absque spiritu est. Vel ut alibi jam dictum est : *Per litteram, sive legem, intelligitur mandatum sine gratia* : quod semper occidit : quia concupiscentiam augens superaddit prævaricationem. Per Evangelium, mandatum cum spiritu, id est gratia, intelligitur : unde Apostolus vocat legem *ministrationem mortis* : Evangelium, *ministrationem justitiæ*.

QUÆSTIO VII. *Et non sicut Moysi ponebat velamen, etc.* Quæritur de velamine, an excæcet. Solutio. Aliud est velamen figuratum, quod est lectio Moysi : quod figuratum est per velamen, quod Moyses loquens filiis Israel posuit super faciem suam. Aliud est velamen cæcitatatis, quod est positum super cor Judæorum : utrumque velamen auferitur per Christum. In cujus rei figura velum templi scissum est in passione Christi.

QUÆSTIO VIII. *Nos autem omnes revelata facie gloriam Dei speculantes, in eandem imaginem transformamur, etc.* Quæritur quid gloriam, et quid imaginem vocet ? Solutio. Gloriam Dei, quam speculamur, et imaginem, in quam transformamur, idem vocat, scilicet Christum, qui est gloria, et imago Dei increata, sicut vir est gloria, et imago Dei creata.

QUÆSTIO IX. *Qui est imago Dei invisibilis (II Cor. IV.)* Quæritur cur Filius dicatur imago Patris. Solutio. Ut ostendatur sic esse ex Patre, ut per omnia ei similis et æqualis ostendatur.

QUÆSTIO X. Si autem quærat cur Spiritus sanctus, cum sit ex Patre, et similis et æqualis per omnia, non dicatur imago Patris sicut Filius. Respondetur quia imago, æqualitas, et similitudo magis pertinent ad proprietatem Filii, quam ad proprietatem Spiritus sancti. Ea enim quæ nascuntur, non quæ procedunt, solent esse similia. Notandum quod ad imaginem et æqualitatem sequitur similitudo : quia ubicunque imago, vel æqualitas est, ibi est similitudo, sed non convertitur. Item nec imago infert æqualitatem, nec infertur ab ea, quia et imago sine æqualitate, et æqualitas sine imagine esse potest.

QUÆSTIO XI. Habentes eundem spiritum fidei. Dicit expositor super hunc locum, quod tempora variata sunt, non fides, quia quidquid nos credimus, et illi antiqui crediderunt, et e diverso. Unde sic objicitur : Abraham credidit Christum nascentem, et nos credimus natum : sed aliud est esse

nasciturum, aliud natum : ergo aliud credidit ille, et aliud nos ? Solutio. Quidquid credimus nos, et antiqui, etc., id est, res eædem subjectæ sunt nostræ fidei, et illorum : non tamen sequitur quod idem, quod est modo præteritum, esse in tempore eorum præteritum ; vel quod tunc futurum, modo sit futurum. Item si opponitur : Abraham credidit Christum nasciturum, sed modo falsum est Christum nasciturum : ergo Abraham credidit falsum. Solutio. Ut nobis videtur, quid interpretatur quale. Cum enim dicitur : Abraham credidit Christum nasciturum, sensus est, fidem habuit de Christi nativitate, quæ tunc futura erat ; sed in assumptione, cum dicitur, modo falsum est Christum nasciturum, sensus est : nativitas Christi non est futura : unde ex illis duabus nullo modo sequitur Abraham falsum credidisse.

QUÆSTIO XII. *Sed licet is, qui foris est, noster homo.* Quæritur an duo homines sint homo exterior, et homo interior, et an idem sit homo exterior, et homo vetus, et homo interior, et homo novus. Solutio. Sicut homo vetus, et homo novus, non sunt duo homines, sed unus, licet secundum aliud vetus, secundum aliud novus dicatur, sic homo exterior, et homo interior non duo homines, sed unus et idem secundum diversa sic dictus est. Nec idem est homo vetus, et homo exterior ; nec idem est homo novus, et homo interior. Vetus enim homo consistit in culpa, et pœna, quæ duo non solum inveniuntur in homine exteriori, sed etiam in homine interiori. Homo vero novus intelligitur secundum justitiam et gloriam : quæ duo etiam ad hominem interioriorem pertinent. Homo vero exterior dicitur, quidquid habemus commune cum brutis : homo interior, quod nobis commune est cum angelis.

QUÆSTIO XIII. *Qui dedit nobis pignus spiritus, etc. (II Cor. v).* Quæritur quomodo Spiritus sanctus dicatur pignus, et cujus rei sit arrha ? Solutio. Spiritus sanctus amor est, et ex amore, quem habemus erga Deum, certi sumus de promissione ipsius ; et quia hanc certitudinem habemus ex Spiritu sancto, ideo Spiritus sanctus quasi arrha, et pignus nobis datus est a Deo. Est autem pignus certitudo rei creditæ, vel promissæ, vel credendæ. *Scientes ergo timorem Domini hominibus suademus.* Timor in quinque species dividitur, ut jam in epistola ad Romanos dictum est, nec opus est recedere.

QUÆSTIO XIV. *Sive enim mente excedimus, etc.* Quæritur qui sint mentis excessus. Solutio. Duo sunt excessus, vel pavor, vel intentio ad superna : ita ut quodam modo a memoria labantur inferiora. In hoc mentis excessu fuerunt omnes sancti : quibus arcana Dei mundum excedentia revelata sunt.

QUÆSTIO XV. *Pro omnibus mortuus est Christus.* Quæritur quomodo pro omnibus mortuus sit Christus : cum ejus mors non omnibus prosit : damnandis enim non prodest, sed tantum electis. So-

lutio. Secundum Hieronymum sic intelligitur, pro omnibus salvandis. Universitas enim quandoque restringitur, et hoc modis pluribus. Quandoque enim colligit signum universale singula generum, quandoque genera singulorum, quandoque neutrum, sed partem majorem, vel digniorem ipsius universitatis. Vel secundum Augustinum, mortuus est pro omnibus Christus, quia hoc ejus mors promeruit, ut per ipsum omnes salvarentur, nisi in ipsis remaneret : sufficiens enim erat ad omnium salutem.

QUÆSTIO XVI. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Quæritur quomodo Pater in Filio, vel Filius in Patre dicatur esse : vel quomodo illud sit intelligendum : *Qui videt me, videt et Patrem (Joan. xiv).* Solutio. Ideo alter in altero esse vel videri dicitur, quia una est substantia eorum naturaliter. Quod addo, ut hæresim Sabellianam excludam. Ibi est unitas, ubi nulla diversitas, sed omnimodo indifferentia, et æqualitas, et identitas. Unde Hilarius ait : Pater videtur in Filio propter unitam naturæ similitudinem : sic enim detestamur pestem Arianorum, quod nihilominus exsecramur insaniam Sabellianorum, sic Deum trinum confitemur, quod unum, et sic unum, quod trinum. Multi enim in diebus nostris sunt Sabelliani, quantum ad intellectum, qui confitentur tres personas : sed cum dicitur, quod tres personæ sunt una substantia, non aliud intelligunt, quam Sabellius intellexit : quod inde contingit, quia non animadvertunt multiplicem hujus nominis, *substantia*, significationem. Dicit enim Hilarius quod cum dicitur : Pater et Filius sunt una substantia, talis locutio habet et fidei conscientiam, et fraudem paratam. Deinde aperit utrumque dicens : Si singuiarem Deum Patrem, et Filium significes, falsa est intelligentia ; si autem dicas ideo Patrem et Filium unam substantiam, vel unum simpliciter, ut intelligas unum, par et indifferens, per omnia æquale, ex nulla parte dissimile, vera est intelligentia. Quibus verbis manifestissime distinguit, inter unitatem personalem, et unitatem naturalem : Pater enim et Filius unum sunt in natura, non in persona.

QUÆSTIO XVII. *Ecce nunc dies salutis, etc. (II Cor. vi).* Quæritur cur tempus gratiæ dies salutis dicitur, cum etiam in tempore legis naturalis et scriptæ multi salvarentur ? Solutio. Ideo dies salutis hoc tempus gratiæ dicitur, quia in hoc tempore hostia oblata est, per quam solam introitus patet in regnum, per quam etiam illi, qui præcesserunt, salutem meruerunt. Unde etiam tempus gratiæ dicitur, propter majores vires nobis datas per fidei, et dilectionis manifestationem : unde et vires diaboli sunt imminutæ, et quia nunc omnia gratis, non causa alicujus terreni commodi fiunt, et quia illa, quæ in aliis temporibus sunt promissa, hoc tempore sunt adimpleta.

QUÆSTIO XVIII. *Charitate non ficta, etc.* Quæritur quæ charitas dicatur ficta. Solutio. Quæ non perseverat, vel quæ non est sufficiens ad salutem, vel simulata, scilicet aliquod signum dilectionis exterius ostensum, cum intus non sit in corde, et hæc charitas non est charitas.

QUÆSTIO XIX. *Quasi morientes, et ecce vivimus.* Quæritur juxta hæc quomodo jugum Domini sit suave, et onus leve, cum sancti tot et tanta dura et difficilia patiantur, et quomodo laborantes et onerati ad se venientes requiem inveniant, cum non a labore ad requiem, sed potius a requele ad laborem videantur transire. Solutio. Sanctis gravia et aspera sustinentibus adest Spiritus sanctus, qui in exterioris hominis corruptione interiorem hominem revocat, de die in diem, et gustata requie spirituali, spe futuræ beatitudinis omnia aspera relevat, et sic in tot duris levius est onus Christi. Omnia enim sæva et immania, facilia et prope nulla facit amor Dei et Domini nostri Jesu Christi.

QUÆSTIO XX. *Ut fiat æqualitas, sicut scriptum est: Qui multum non abundavit, etc. (II Cor. viii).* Quæritur an minores qui (quasi provinciales) ministrant stipendia militibus Christi, sint illis in meritis æquales: quod videtur Apostolus velle dicens, ut fiat æqualitas. Solutio. Ista æqualitas non est pietatis, sed quia utrique sustentant, et sustentantur ab invicem. Minores enim majores in carnalibus sustentant, et sustentantur in spiritualibus. Et majores minores, id est spirituales, carnales sustentant in spiritualibus, et sustentantur in carnalibus ab eisdem.

QUÆSTIO XXI. *Providemus enim bona non solum coram Deo, etc.* Quæritur quomodo dividat Apostolus, scilicet coram Deo, et coram hominibus, cum non possit fieri coram Deo, nisi etiam fiat coram hominibus? Nec tamen semper exigitur opus exterius, videlicet cum deest facultas. Semper autem exigitur, ut munda sit conscientia. Solutio. Ut Apostolus ostendat conscientiam non posse esse mundam, nisi etiam bona provideantur coram hominibus, ideo distinguit inter hæc duo.

QUÆSTIO XXII. Quæritur: Quid est providere bona coram Deo? Solutio. Sic mentem aptare, ut nihil fiat contra Deum, quod fieri nequit, nisi scandalum vitetur fratrum exterius, vel ideo dividat inter prædicta, ut ostendat quædam esse quæ licet fieri quantum ad Deum pertinent, quia in se bona sunt, quamvis aliter videatur hominibus, ideoque possunt prætermitti. Quod ergo expedit et decet, illud fiat quod expedit nobis ad meritum, quod decet ad exemplum cæteris. Ergo propter conscientiam bona providere debemus coram Deo. Propter famam providemus etiam bona coram hominibus: qui enim conscientie fidens famam negligit, crudelis est, quod facit qui non curat, an quod facit placeat, an displiceat et propter scandalum fratrum nihil dimittit.

QUÆSTIO XXIII. *Qui parce seminat, parce et metet.*

(II Cor. ix). Quæritur de pauperibus, qui parce seminant, vel nihil, an ideo parce et ipsi metent. Solutio. Non parce seminat ille qui parum largitur, si animus promptus sit dare, si plus haberet. Parce ergo seminare dicendus est, qui parvam habet dilectionem, sive plus, sive minus det: et hic parce metet, id est, parvam percipiet retributionem in vitam æternam.

QUÆSTIO XXIV. *Non enim audemus nos inserere, etc. (II Cor. ii).* Id est, non usurpamus nobis potestatem, sed potestate nobis a Deo data utimur. Quæritur itaque quid sit usurpare potestatem. Solutio. Ille usurpat sibi potestatem, qui non electus, vel non vocatus, sumit sibi honorem, qui ingerit se et non accepta potestate vult dominari.

QUÆSTIO XXV. *Nos autem non in immensum gloriamur.* Quæritur: Quid est in immensum gloriarum? Solutio. Plusquam debet, et in eo quod non debet quis gloriarum, quod facit ille qui extendit se in id in quos jus non habet. Abuti autem potestate est adulari, et vitia peccantium palpare. Ut potestate est peccantes arguere, et cætera quæ ad ædificationem pertinent facere.

QUÆSTIO XXVI. *Qui gloriatur, in Domino gloriatur.* Quæritur quid sit in Domino gloriari, cum alibi dicat: *Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi (Galat. vi).* Et illud: *Non solum gloriamur in spe filiorum Dei, sed etiam in tribulationibus nostris (Rom. v).* Nunquid idem in Domino et in cruce Domini, et in tribulationibus gloriari? Quid est gloriari? Solutio. Gloriari est gaudere laude, et gloria se dignum judicare. In Domino gloriari est totam fiduciam non sibi, sed Domino tanquam auctori attribuere, et in Christo exsultare gaudio spirituali. In cruce Domini gloriari duobus modis potest intelligi. Ille enim recte in cruce Domini gloriari dicitur, qui cum gaudio, et spe futuræ vitæ imitatur Domini passionem, et hoc est gloriari in tribulationibus. Dicitur etiam aliquis gloriari in cruce Domini, qui non judicat se dignum salute, nisi per passionis Dominicæ meritum, dicens cum apostolo Petro: *Quia non est aliud nomen sub cælo in quo oporteat non salvos fieri (Act. iv), hæc dico absque præjudicio melioris sententiæ.*

QUÆSTIO XXVII. *Æmulor enim vos Dei æmulatione, etc. (II Cor. xi).* Quæritur: Quid est æmulatione? Solutio. Æmulatione est motus mentis in bonum vel in malum propter alienum statum. Quando est in bonum, tunc est amoris: quando est in malum, tunc est livoris.

QUÆSTIO XXVIII. Quæritur item: quid est æmulari Dei æmulatione? Solutio. Dilligere ad honorem Dei, vel ea æmulatione quam Deus inspirat.

QUÆSTIO XXIX. *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Quæritur de hac desponsatione Apostoli cum non omnes qui sunt in Ecclesia sunt virgines, ut conjugati, quomodo ergo potest eos qui non sunt virgines exhibere virginem, quasi unam, insuper castam? Solutio. Duplex est vir-

ginitas : corporis et mentis : carnis virginitas est corpus intactum, mentis virginitas est integritas hominis interioris incorrupta, Hæc autem exigitur ab omni fidei, sine qua illa quæ est carnis non prodest. Virgo autem una omnes dicuntur propter unitatem integræ fidei, solidæ spei, sinceræ dilectionis. Casta, non habens æstum malæ voluntatis.

QUÆSTIO XXX. *Satanas transfiguratur se in angelum lucis.* Quæritur an periculosum sit credere Satanam esse angelum lucis, cum ea dicit, vel facit, quæ congruunt bonis. Solutio. Si tunc quando dicit vel facit ea quæ conveniunt, non est error periculosus ; cum autem suas fallacias incipit ducere ne quis post eum eat, opus est vigilantia : quod non fit sine Deo.

QUÆSTIO XXXI. *In fame, et siti, etc.* Quæritur ubi est promissio Dei dicentis : *Primum quærite regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis* (Matth. vi). Videtur enim promissio titubasse, cum Apostolus dicat se laborasse in fame, et siti, frigore et nuditate. Solutio. Novit ille medicus, cui semel nos totos commisimus, et a quo promissionem præsentis vitæ et futuræ habemus, quando hæc adjutoria apponat, vel subtrahat sicut nobis expedire judicat ?

QUÆSTIO XXXII *Per fenestram in porta a fratribus.* Quæritur an hoc factum sit laudabile, an dignum reprehensione : quod videtur quibusdam, quia Dei auxilio non est liberatus. Solutio. Ante non est necessarium suffragium Dei quam defecerit humanum auxilium ; nec debet aliquis expectare Dei auxilium, dum habet quod faciat, nec videatur tentare Deum.

QUÆSTIO XXXIII. *Et sic effugi manus ejus.* Quæritur an Apostolus fecerit fugiendo, ut bonus pastor, an ut mercenarius. Nonne lupo veniente oves deseruit, et fugit ? et sic videtur quod non bonus pastor, sed mercenarius fuerit. Solutio. Quando aliquis pastor specialiter a persecutoribus quæritur, licet ei cedere, et rabiem persecutorum declinare, et fugiendo utilitati totius gregis se custodire, et interim cæteri qui ita non requiruntur, conservis suis cibaria præbeant. Cum autem, omnium commune instat periculum, ii, qui aliis, indigent, non deserantur ab iis quibus indigent.

QUÆSTIO XXXIV. *Sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit, etc.* (II Cor. xii) Quæritur quomodo Apostolus dubitaverit an in corpore, an extra corpus sit raptus cum nemo in hac vita existens Deum sicuti est videre possit ; unde dicit Moysi : *Non videbit me homo, et vivet* (Exod. xxxiii). Item si extra corpus sit raptus, ita scilicet quod anima separata a corpore fuerit, nunquid corpus ejus interim fuit mortuum ? Item si intellectuali visione Deum vidit, tunc eum vidit vere, et illam cognitionem habuit, in qua summa est beatitudo et sic in beatitudine fuit ; sed beatitudo semel habita nunquam amittitur ; aut si jam susceptam Deus ei abstulit, videtur quod injusto Deus egerit. Solutio. Utrumque contingere potuit : vel quod anima a corpore separata Deum

A in se viderit vel anima, libera a sensibus corporis in ipso corpore sic Deum contemplaretur ; et quoniam alterum istorum recte contingere potuisset dubitando dicit Apostolus sive in corpore, sive extra corpus. Unde quodcumque horum fuerit, salva erit auctoritas illa : *Non videbit me homo, et vivet*, quia utroque modo exuisse hominem potuit. Si autem extra corpus fuit, tunc corpus mortuum fuit, et ab anima separatum, et iterum anima redeunte vivificatum. Cum autem plenam Dei cognitionem habuit, et sic in beatitudine fuerit, si iterum eidem eadem gloria subtracta fuit, non est mirum, nec incredibile, quia sic Deus servo suo dilectissimo beatitudinem et gaudium futurum, quod accepturus erat præostendere potuit, ut firmius in ejus dilectione et servitio perduraret, et tempus ipsum recipiendi vehementius desideraret : quemadmodum in monte transfiguratus gloriam humanitatis tribus discipulis suis ostendit.

QUÆSTIO XXXV. Per tertium vero cælum, et paradisum, in quem raptus est, idem intelligit, videlicet plenam divinitatis intelligentiam, vel cognitionem. Nota de tribus cælis quadripartitam sententiam. Secundum primam sententiam primum cælum est aereum, unde aves cæli. Secundum est firmamentum, unde et vocavit firmamentum cælum. Tertium est empyreum, quod statim ex quo factum angelis est repletum, ubi angeli, et animæ sancte fruuntur contemplatione Dei. Secundum secundam sententiam primum cælum est corporalis visio, qua cælum, et terra, et omnia oculis conspicua cernuntur. Eadem visione quandoque Dei munere videntur quædam, ut Elisæus currus ignitos (IV Reg. ii), et Balthasar manum scribentem, in pariete, *mane, thecel, phares* (Dan. v). Secundum cælum est visio imaginaria, vel spiritalis, qua videntur non corpora, sed imagines eorum : sicut solent in somnis, vel in exstasi, ut Pharaon spicas (Gen. xli), et Petrus discum (Act. x). Tertium visio intellectualis, qua non corpora, nec imagines corporum videntur, sed incorporalia, et immaterialia instinctu mentis conspiciuntur, ut substantia, Deitas et omnis animæ affectio. Tertia sententia tres cælos triplicem angelorum hierarchiam secundum Dionysium vocat. Prima in ascensu est quæ continet angelos, et archangelos, et virtutes. Secunda potestates, principatus et dominationes ; tertia thronos et cherubim, et seraphim. Hanc itaque tertiam hierarchiam in ascensu, et primam in descensu, vocat Apostolus tertium cælum, sive paradisum : ad quod cum dicit se raptum, ostendit quod Deum vidit immediate facie ad faciem. Quarta sententia est, quod primum cælum dicitur cognitio cælestium corporum, secundum cælestium spirituum, tertium cognitio Deitatis.

QUÆSTIO XXXVI. *Scio hujusmodi, etc.* Quæritur quomodo hominem raptum dicat sive in corpore, sive extra, cum homo in corpore et anima subsistat, quomodo ergo dicit hominem posse extra corpus rari. Solutio. Veritas hominis ibi consistit, ubi est

imago, et similitudo Dei. Unde est illud : Mens ejusque, ipse est quisque. Nomine itaque hominis, vocat hominem interiorem.

QUÆSTIO XXXVII. *Datus est mihi stimulus carnis meæ angelus, etc.* Queritur a quo sit ei datus stimulus iste, an a Deo, an a diabolo. Si a Deo quomodo angelus Satanae dicitur, quasi ab eo missus? Item si a diabolo missus, quomodo verum est quod sequitur : *Ne magnitudo revelationum extollat, etc.* Nunquid ideo Satanas per angelum missum a se Apostolum colaphizabat, ne in superbiam extolleretur? Solutio. Et a Deo, et a diabolo missus est ille qui Apostolum vexabat, sed propter aliud a Deo, et propter aliud a diabolo. A Deo ideo missus est, ne magnitudo revelationum extolleret eum. A diabolo ideo, ut eum, ad defectum traheret. A Deo etiam ideo missus est, ut virtus infirmitate perficeretur.

QUÆSTIO XXXVIII. *Propter quod ter Dominum rogavi, etc.* Diabolus expetivit Job tentandum, et exauditus est (*Job. 1*). Apostolus petivit ut angelus Satanae recederet ab eo, et non est exauditus. Ubi est ergo divina justitia? Nunquid justum fuit diabolum exaudire, et non Apostolum? Solutio. Deus eos quos sanare disposuit, non semper exaudit ad voluntatem, sed ad sanitatem. Quosdam vero iratus quandoque exaudit ad voluntatem, ut diabolum.

QUÆSTIO XXXIX. Item cum sciret Apostolus hanc infirmitatem sibi datam ad profectum, et ad humilitatis conservationem, quæritur an rationabiliter petierit ut ab eo talis tentatio recederet. Solutio. Licet hoc sciret, tamen humane casum ex afflictione time-

bat, et sic ex timore humiliabatur; humilitas vero expellebat morbum superbiae elationis, et hac dispensatione divinae providentiæ, datus est ei stimulus ille.

QUÆSTIO XL. *Et non egerunt pœnitentiam, etc.* Queritur an pœnitentia sit necessaria emendanti mores in melius; et quibus modis agitur pœnitentia. Solutio. Non sufficit mores in melius mutare, et a malis recedere, nisi per pœnitentiæ dolorem, et humilitatis gemitum, et cordis contriti sacrificium satis fiat de culpa. Item notandum est quod tribus modis agitur pœnitentia: ante baptismum, et post baptismum, pro gravioribus, et quotidie pro levioribus et crebris, juxta illud : *Vitasti grandia, vide ne opprimaris arena.*

QUÆSTIO XLI. *Oramus Deum, ut nihil mali faciat (II Cor. xiii).* Hic innuit Apostolus quod sola gratia Dei declinatur a malo, dicendo : *Oramus, etc.* Nil enim valet exterior plantatio et irrigatio sine interiori incremento: quod dat Deus sola gratia. Queritur ergo cur in sacris Scripturis sæpe præcipitur nobis et declinare a malo, et facere bonum: cum ad neutrum istorum sufficiat liberum arbitrium, cum solius gratiæ opus sit proprium tam hoc quam illud. Solutio. Voluntas non nihil facit, sed sola non facit. Ideo cum præcipitur, ut fiat hoc vel illud, liberum arbitrium debemus agnoscere; cum autem oratur, gratiæ beneficium postulatur. De gratia et libero arbitrio jam in superioribus dictum est, et similiter quid per se gratia sine voluntate operetur, et quid sine illa non operetur nec opus; est ut eadem iterum repetantur.

IV.

IN EPISTOLAM AD GALATAS.

(*Galat. 1.*) *Paulus apostolus, etc.* Hanc Epistolam C Apostolus mittit Galatis: qui de Gallia venientes, in quamdam Græciæ provinciam Græcis se miscuerunt. Unde provincia illa prius Gallogræcia dicta est, deinde Galatia. Unde cum Græci acuti ingenii sint, hi stulti, et ad intelligendum tardiores, ut indociles Galli habentur. Hi prius ab Apostolo in fide, et in doctrina evangelica sunt instructi, postea a pseudoapostolis multis modis sunt subversi, ut crederent gratiam Christi sine lege Moysi non sufficere ad salutem. Unde patet quæ sit materia specialis, scilicet status Galatarum in quo tunc erant; generalis autem materia, communis status Ecclesiæ. Intentio vero Apostoli in hac Epistola est Galatas versutiis pseudocircumventos ad veritatem fidei catholice et doctrine evangelicæ revocare. Modus D talis: salutem præmittit, ubi contra detractores, et de operibus legis gloriantes, de sua dignitate, et Christi gratia breviter tangit: commendans personam suam, quando pseudo deprimebant. Post salutationem de levitate eos redarguit: post personam suam latius commendat. Deinde legem Moysi im-

PATROL. CLXXV.

probat: docens eam non esse tenendam post Christum, quia non solum non proficit ad salutem et justitiam, sed etiam officit. Post commendat Evangelium et fidem Christi, quæ sufficit ad salutem.

QUÆSTIO I. *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de presenti sæculo, etc.* Cum mundus sive sæculum sit opus Dei qui bonorum tantum auctor est, queritur hic quomodo totus in maligno positus sit mundus, vel quomodo sæculum dicatur nequam. Solutio. Non solum loca, sed etiam tempora et instrumenta malorum trahunt infaniam eorum, quæ in eis fiunt: unde dies pessimi, et tempora periculosa dicuntur. Saltus quoque pleni latronibus, mali dicuntur; et gladius, quo sanguis effunditur, et calix, quo venenum propinatur; et sic mundus, vel sæculum malitiæ nomen sortitur propter ea quæ in eo fiunt.

QUÆSTIO II. *Sed licet nos, vel angelus evangelizet vobis præter id, etc.* Nonne multa erant, quæ nondum eis Evangelizavit quæ sunt credenda et tenenda parvulis, qui lacte simplicis doctrine sunt nutriendi? Solutio. Non ait plusquam accepistis, sed

præter id, inquit, per quod intelligit contrarium. Unde promittebat se venire ad quosdam, ut impleret ea quæ eis deerant.

QUÆSTIO III. *Si adhuc hominibus placerem, etc.* Quæstio, quæ solet hic fieri, in prima Epistola ad Corinthios soluta est. Sed dicit aliquis: Quidquid alibi dictum sit, vellem audire, quomodo utrumque verum sit, *si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem*; et illud: *Placete omnibus per omnia (I Cor. x)*. Ipse non vult placere hominibus, ut sit servus Christi. Nobis autem præcipit ut hominibus placeamus. Nunquid non vult nos non esse servos Christi, cum utrumque non possimus, et illis placere, et Christi servi esse? Unde scriptum est: *Dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent (Psal. xxv)*. Eadem quæstio nascitur ex verbis Domini diversis. Alibi enim dicit: *Luceat lux vestra coram hominibus (Matth. v)*; et alibi: *Nolite justitiam vestram coram hominibus facere (Matth. vi)*. Solutio. Nihil aliud monemur, sive ex verbis Domini, sive ex verbis Apostoli, nisi ne finem bonorum operum in laude hominum ponamus, et ne eandem quasi pro mercede bonorum operum optemus.

QUÆSTIO IV. *Persequeretur Ecclesiam Dei, etc.* Quæritur an Apostolus persequendo Ecclesiam Dei peccaverit, cum zelum legis habuit, idque faciendo crederet propter Deum esse faciendum. Nam quisque tenetur, ut illud faciat, quod conscientia dictat esse faciendum propter Deum, et ita si non faceret, videtur Deum offendere per contemptum. Item, Ecclesiam persequi, malum esse quis dubitet? Solutio. Dicunt quidam, sive hoc sive illud faceret, peccaret. Alii vero dicunt quod zelus ille, quem habuit Apostolus, erat bonus, sed opus illud malum fuit, et erroris, scilicet persecutio Ecclesie.

QUÆSTIO V. *Neminem autem aliorum apostolorum vidi, nisi Jacobum fratrem Domini.* Quare Jacobus minor filius Alphæi frater Domini dicatur solet quæri. Solutio. Dicunt nonnulli quod ideo frater Domini dictus est, quia fuit filius Joseph de alia uxore, qui pater Domini putabatur: sed hoc non est ratum, cum Joseph virgo esse credebatur; alia ergo quærenda est solutio. Sciendum itaque quod Maria mater Domini, Joachim et Annæ filia fuit, quæ nupsit Joseph, et ita fuit Joseph putativus pater Domini. Mortuo autem Joachim, Cleophas frater Joseph eandem Annam accepit uxorem, et genuit ex ea filiam quam vocavit Mariam, quæ nupsit Alphæo, qui genuit filios, scilicet Jacobum, Joseph, Simonem et Judam. Mortuo autem Cleopha, quidam Salomas eandem Annam duxit, et ex ea filiam genuit nomine Mariam, quæ nupsit Zebedæo: habuit ex eo filios Jacobum, qui dictus est Major, et Joannem evangelistam. Tres igitur viros Anna habuit, et tres filias. Nunc videndum est quare Jacobus Alphæi et minor dictus est frater Domini. Minor dictus est ad comparisonem alterius, qui prius adhæsit Domino,

A et ideo major vocatus est, non secundum tempus nativitatis, sed conversionis. Frater autem Domini dictus est secundum quosdam, quia filius matris ejus erat, vel propter similitudinem sanctitatis ejus, vel potius quia nepos fuit patris Christi, id est Cleophas. Hebræi enim germana consanguinitate ex parte patrum conjunctos fratres vocant. Notandum quod quatuor modis in Scripturis fratres dicuntur. Natura, ut Esau et Jacob; gente, ut omnes Judæi fratres inter se dicuntur; cognatione, ut omnes illi qui sunt de eadem familia; cum ex una radice turba diffundit, ut Abraham, et Loth, et Jacob, et Laban Scriptura vocat fratres. Affectu fratres omnes Christiani, ejusdem gratiæ participes, eundem Patrem cœlestem habentes.

B
QUÆSTIO VI. *Cogis gentes judaizare (Galat. ii)*, etc. De hac reprehensione quæri solet an fuerit vera, an dispensatoria, et an peccaverit Petrus, et vere reprehensibilis fuerit? Solutio. In responsione hujus quæstionis illa duo præclara lumina Hieronymus et Augustinus videntur dissentire. Hieronymus dicit quod reprehensio illa dispensatoria, et non vera fuit, et quod Petrus non peccavit, nec reprehensibilis fuit. Augustinus vero asserit quod vera fuit reprehensio, nec simulatoria, et quod Petrus vere reprehensibilis fuit: nec secundum veritatem Evangelii ambulavit; non in hoc, quod infirmus factus est infirmis, sed quia suo exemplo cogebat gentes judaizare: alioqui consequens erit falsum scripsisse Paulum, quod nullatenus credendum est. Item de abolitione legalium post Christum, nihilominus idem magistri duo non idem sentiunt. Hieronymus enim dicit quod post Christum mortiferæ sunt ille legales observantiæ. Augustinus dicit quod licuit Judæis tunc in primitiva Ecclesia eas observare, tantum non ponerent spem in eis. Ante enim Christi adventum videntur fuisse necessariae; in ipso confinio legis et gratiæ indifferentes, si in eis non poneretur spes; nunc autem sunt mortiferæ. Nota quod dispensatio est interioris status concessio causa vitandi scandali, in qua minus fit malum, ut majus vitetur. Salva reverentia secretorum, B. Augustini sententiam præferimus sententiæ B. Hieronymi super prædicta reprehensione et legis abolitione. D
Unde objectionibus B. Hieronymi sic respondemus. Prima est: Christus est finis legis, id est consummatio et plenitudo legem implens, et consummans in se, et in suis. Non tamen ita quod lex post Christi adventum per nullum temporis curriculum licite a quoquam fieret. Item, *lex et prophetæ usque ad Joannem*. Venerande senex Hieronyme, responde mihi sensu puro, qualiter est hoc intelligendum, lex et prophetæ usque ad Joannem? Nunquid sic, quod post Joannem non licuit legem servare? Quod videtur secundum tuam disputationem. Sed nonne Christus etiam post Joannem legem servavit, vetus pascha celebrando? Nunquid Christus fecit quod non decuit? Est itaque intelligendum sic: *lex et prophetæ usque ad Joannem*, id est a Joanne gratia Novi Testa-

menti incēpit et prædicari et exhiberi : et ex tunc A Vetus Testamentum cæpit cessare. Item tunc temporis non erat hæresis legales observare cæromonias, licet modo esset, maxime si quis crederet gratiam non sufficere ad salutem sine lege. Item si sunt observandæ, salutem afferunt. Nonne quædam observamus, quæ salutem non conferunt, sed pro nostro arbitrio eis possumus uti, et non uti ?

QUÆSTIO VII. *Ex operibus legis non justificabitur homo, nisi per fidem Christi.* Quæritur quomodo fides justificet et non opera, cum Deus reddat unicuique secundum opera sua. Nonne ex quo habet esse meritum et præmium, corona et justitia ? Si ergo corona est ex operibus, videtur quod justitia sit ex eisdem. Solutio. In Epistola ad Romanos disputatum est pro modulo nostro de hac quæstione : B hic modo sufficiat dicere : fides ideo dicitur justificare, quia ex certitudine invisibilium æterna bona diliguntur ; dilectio autem justificat. Ex fide ergo dicit nos justificari, quia ipsa prima est, ex qua impetrantur cætera. Nec cum dicit nos ex fide justificari, opera bona frustrantur, sed ideo hoc dicit, quia ipsa opera sunt ex gratia fidei.

QUÆSTIO VIII. *Si ea, quæ destruxi, iterum reedifico, prævaricatorem me constituo.* Sed dicit aliquis : Nonne fidem quam impugnabat destruxit, et iterum eam reedificat prædicando, et sic videtur ecce prævaricator ? Solutio. Qui rem falsam, quæ destrui potest, destruit, si eam iterum reedificat, prævaricator est. Fides autem non potest destrui, licet possit impugnari. Licet itaque Paulus prius C conaretur nostram fidem destruere et iterum reedificare, non tamen prævaricator fuit.

QUÆSTIO IX. Item opponitur de eodem sic : *Si ea, quæ destruxi, iterum reedifico.* Ecce manifeste dicit se destruxisse legalia ; alibi vero dicit : *Legem ergo destruimus ? Absit ! sed legem statuimus (Rom. iii).* Quomodo ergo verum est utrumque ? Solutio. Duobus modis dicitur quis legem destruere. Ille legem destruit, qui eam in statu suo ante Verbi incarnationem dicit inutilem, nec a Deo datam asserit, et hoc modo legem Paulus non destruebat. Ille etiam dicitur legem destruere, qui eam ostendit post Christi adventum secundum carnalia non esse tenendam, et hoc modo Paulus legem destruebat dicens : *Si circumcidamini, D Christus nihil vobis proderit.*

QUÆSTIO X. Nunquid Christus peccati minister, cum lex bona sit, et mandatum bonum, justum, et sanctum ? quomodo Christus si legem ministrat, et peccatum ? Nunquid Deus, quando legem dedit, peccatum ministravit ? Solutio. Lex quidem bona, tamen occasio peccati : juxta quam rationem minister legis dicitur minister peccati.

QUÆSTIO XI. *Per legem enim legi mortuus sum, etc., id est per auctoritatem legis eam dimisi : sed per quam auctoritatem, quæritur.* Solutio. Moyses dicit : *Suscitabo vobis prophetam de fratribus vestris, quem sicut me audietis (Deut. xviii).* Et Hieremias : *Consummabo testamentum novum domui*

Israel. Et David : *Et holocaustum pro peccato non postulasti ; tunc dixi : Ecce venio (Psal. xxxix).* Ex hoc etiam quod in lege scriptum est : *Odio habebis inimicum tuum (Matth. v),* cum nullus cum odio inimici possit salvari, constat quod lex neminem justificat. Ideoque ab ea ad gratiam quæ justificat fugiendum est. Et quia lex tantum manum, et non animum cohibebat de exterioribus agendo, et omnes cultores suos sub maledictione constituebat, liquet quod per ipsam ipsi moriendum est, ut in Deo vivatur.

QUÆSTIO XII. *Qui dilexit me, et tradidit seipsum pro me, etc.* Revoca quæstionem illam ad memoriam, quomodo Pater, Filius, et Judas conveniant in traditione Filii, super Epistolam ad Romanos secundum posse nostrum pertractatam. Si enim per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est : sed Christus non est gratis, id est sine causa, sive utilitate, mortuus : ergo ex lege non est justitia. Lector, auctoritatem revoca ad memoriam quoties opus fuerit tibi probare quod ex lege non est justitia : hoc dico, quia sunt auctoritates quibus videtur quod possit ostendi quod ex lege sit justitia sicut in superioribus ostensum est.

QUÆSTIO XIII. *Quis vos fascinavit non credere veritati, etc.* Quæritur quid sit fascinatio. Solutio. Magica ludificatio, qua oculis hominum ostenduntur aliter quædam quam sint : fascinus, vel fascinatio vocatur : vel vulgo fascinatio, quod nocet infantibus. Oculi enim quorundam dicuntur visu urere, et hic actus fascinatio existimatur. Sic invidia non solum invidio nocet aliena felicitate tabescenti, sed iis etiam in quibus aliqua bona incipiunt esse. Unde scriptum est : *Fascinatio nugacitatis obscurat bona (Sap. iv).*

QUÆSTIO XIV. *Qui ex fide sunt, benedicentur : qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt.* Quæritur quid sit esse ex fide, quid sit esse ex operibus legis. Solutio. Illi sunt ex fide quorum esse pendet ex fide, id est qui per fidem tendunt ad verum esse, et qui per fidei gratiam quærunt justificari. Et soli a Deo æternæ vitæ benedictionem consequentur. Ex operibus autem legis esse dicuntur, qui ex eis quærunt justificari ; ideoque sub maledicto sunt, tanquam legis transgressores.

QUÆSTIO XV. *Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.* Quæritur an Deus in lege præcepit aliquid quod non possit adimpleri ? Si dicatur nihil, quomodo omnes qui sunt ex operibus legis, sub maledicto sunt ? Item, si Deus præcipit aliquid homini quod ipse non vellet facere, videtur Deus injustus et crudelis. Solutio. Dicunt quidam quod nihil præceptum est in lege quod homo non possit adimplere. Contra quos dicit expositor, quod multa præcepit Deus, quæ omnia nullus potuit adimplere. Unde apostolus Petrus : *Cur tentatis Deum, nobis imponere jugum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus (Act. xv).*

QUÆSTIO XVI. *Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Quæritur an Christus sit sub hac universitate ma-

ledictionis contentus? Sed ille est qui super omnia est Deus benedictus in sæcula; per quem tollitur omnis maledictio, et qui benedixit nos omni benedictione in cœlestibus. Ipse enim semen Abraham promissum, in quo fit omnium gentium benedictio. Quomodo ergo iste potest esse maledictus? Solutio. Alia est maledictio culpæ, quæ longe est a Christo: alia est pœnæ, quam Christus voluntarie suscepit, factus pro nobis maledictum, sive peccatum, id est hostia pro peccato: ut omnium maledictionem tam culpæ quam pœnæ de medio tolleret. Potest etiam dici quod maledictus fuit Christus maledictione culpæ, non vere, sed secundum opinionem hominum: unde tanquam peccator cum iniquis reputatus est.

QUÆSTIO XVII. *Si enim ex lege hæreditas, non ex promissione.* De hac consequentia quæritur an vera sit. Ad sui veritatem requirit ut sint opposita hæreditatem esse ex lege, et ex promissione: alioquin non sequeretur, si ex lege, non ex promissione. Quid est ergo, hæreditatem esse ex lege: quid est esse ex promissione? quid etiam vocat hæreditatem? Solutio. Hæreditatem, vocat æternam vitam: esse ex lege, est esse ex operibus legis, ad quorum impletionem homo videtur sibi sufficere, nec gratia Dei indigere, quod est ex meritis esse hæreditatem. Ex promissione vero esse hæreditatem, hoc est, esse ex gratia. Vide ergo, quod esse ex lege, et promissione sunt opposita. Unde alibi dicit Apostolus: *Si ex operibus, jam non ex gratia (Rom. xi)*, id est, si ex debito, non ex gratia.

QUÆSTIO XVIII. *Quid ergo lex?* Cum priores sancti, qui ante legem fuerunt, fuerint per gratiam fidei justii, et promissionem sint consecuti, quæritur quare lex sit data? et quid utilitatis contulerit? Solutionem hujus quæstionis Apostolus ponit dicens: *Propter transgressionem lex posita est*, quod duobus modis potest intelligi, scilicet propter transgressionem cohibendam, ut saltem timore cessarent homines transgredi, ut quandoque idem facerent voluntarie; vel propter transgressionem lex posita est, id est, ut faceret homines transgredi, et sic humiliarentur, et medicum quærent, et gratiæ auxiliū implorarent. Data est ergo ut superbos humiliaret, et infirmitatem proderet, et duris in flagellum et in signum futurorum.

QUÆSTIO XIX. Quæritur cur statim post hominis casum lex non sit data? vel quare ipse Filius illico non venerit? vel quare tot homines perire permiserit? Solutio. Magno consilio hoc factum est, ut post hominis casum non illico lex daretur, vel Filius mitteretur. Nisi enim superbia hominis prius vires experiretur sui arbitrii, libertati sufficientiam arrogaret, et legem superflue datam, et Filium frustra venisse judicaret. Nec omnes, qui tunc fuerunt, perierunt: sicut nec omnes qui modo sunt, fiunt salvi. Itaque hoc factum est, ut homo morbum infirmitatis suæ agnosceret, et gratiam sibi necessariam imploraret. In lege enim naturali relictus est sibi,

ut sic vires naturæ experiretur, et convictus est de ignorantia, et confessus est, quia defecit lumen oculorum suorum: adhuc tamen credebat se habere virtutem, qua possit implere quidquid necessarium ad salutem erat. Unde et dicebat: *Non deest qui impleat, sed deest qui jubeat.* Quasi diceret: Cognitione, non virtute indigeo. Data est itaque lex, quæ ignorantiam illuminaret sed infirmitatem non adjuvaret: quæ peccatum detexit, sed non consumpsit, qua data invaluit morbus, et aucta est concupiscentia, non legis, sed naturæ vitio, et instantia diaboli, ut ita in cognita utriusque legis insufficientia, et sua infirmitate, clamaret ad medicum, et quæreret gratiæ auxiliū: et sic multiplicatis infirmitatibus acceleraverunt ad medicum, qui veniens in forma servi sanavit vulnera languidi. Hic est enim Samaritanus ille qui ad vulneratum, qui incidit in latrones appropinquavit, et vulnera ejus alligavit: quem sacerdos, et levita, id est lex et sacerdotium, pertransierunt (*Luc. x*): quia *lex ad perfectum neminem perduxit (Hebr. vii)*. Hic est Elisæus, qui post missum baculum non effectivum salutis, venit ad suscitandum mortuum filium Sunamitis (*IV Reg. iv*). Hic est Angelus magni consilii, qui descendit in piscinam, et mota aqua sanabatur unus (*Joan. v*). Hic est omnipotens sermo, qui a regalibus sedibus venit, dum medium silentium omnia tenerent (*Sap. xviii*). Nota tria esse silentia. Primum silentium est ignorantia languoris, quod fuit sub lege naturali. Secundum silentium est desperatio salutis, quod fuit sub scripta lege, et hoc silentium est medium. Tertium silentium est adeptio sanitatis: quod erit in gloria æternæ beatitudinis. Dum itaque omnia medium silentium tenerent, id est, de salute desperarent: summi Regis Filius de lumine cœli ad tenebras mundi vel inferni descendit. Et veniens locutus est pacem, dedit gratiam, proposuit misericordiam, promisit veniam. Et sic rupto medio silentio cœperunt ægroti pura fide, et vera confessione, quasi magnis clamoribus flagitare remedium, et accelerare ad medicum, per quem ægroti sanarentur, et vulnera curarentur.

QUÆSTIO XX. *Lex posita est in manu Mediatoris.* Quæritur cur Christus dicatur Mediator? Solutio. Quia mediat nos, id est reconciliat Deo.

QUÆSTIO XXI. Sed cum non solum Filius nos sibi reconciliat, sed etiam Deus Pater, sicut dicit Apostolus: *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi (II Cor. v)*, quæritur cur solus Filius dicatur Mediator Dei et hominum. Solutio. Tota Trinitas virtutis usu nos sibi reconciliat: sed solus Filius impletionem obedientiæ, et sacramentorum susceptione nos justificat et reconciliat. Unde non immerito solus Mediator dicitur.

QUÆSTIO XXII. Cum Christus Deus, et homo, Dei et hominum mediator sit, quæritur secundum quam naturam, an secundum divinam, an secundum humanam, an secundum utramque sit Mediator. Solutio. Auctores dicunt quod non est mediator secun-

dum quod est Deus, sed tantum secundum quod homo, per mortalitatem nobis appropinquans, Deo per justitiam.

QUÆSTIO XXIII. *Sed conclusit scriptura omnia sub peccato.* Quæritur quid vocet scripturam. Solutio. Legem, quam alibi vocat litteram, hic appellat Apostolus scripturam : quia tantum jubet, non adjuvat : ægrotum, qui sibi sanus videbatur, de morbo convincit, et sic ostendendo peccata, et non auferendo concludit omnia sub peccato. Data est ergo lex, ut gratia quæreretur : et gratia collata est, ut per eam lex impleretur : huic consonat quod alibi dicit : *Conclusit Deus omnia in incredulitate, ut omnium miseretur* (Rom. xi).

QUÆSTIO XXIV. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Quæritur de illo, qui fide accedit ad baptismum, an sit in Christo baptizatus, et Christum indutus. Quod si dicatur sic, consequitur quod Christo sit conformis : si autem non est baptizatus, si pœnituerit de sua fictione, poterit baptizari, sed hoc ei non conceditur : constat ergo quod sit baptizatus. Solutio. In Christo baptizari, et Christum induere duobus modis intelligitur, vel sacramenti perceptione, quod commune est bonis, et malis ; vel sanctificatione interiori, et vite conformitate, quod solis bonis convenit.

QUÆSTIO XXV. Quæritur quomodo Christus sit indumentum sanctorum, et ane sancti sint indumentum Christi ? Solutio. Christus dicitur indumentum sanctorum, et sancti etiam indumentum Christi. Sed aliter et aliter. Christus enim dicitur indumentum sanctorum per obumbrationem Spiritus sancti, ab æstu vitiorum eos protegens : sancti vero indumentum Christi, quasi ipsum intra se habentes, et circumdantes. Etiam ipsum sua sancta conversatione honorant : sicut mali male vivendo, blasphemant.

QUÆSTIO XXVI. *Si vos Christi, ergo Abrahæ, etc.* Christus dicitur semen Abrahæ, et fideles dicuntur semen Abrahæ. Unde quæritur an secundum eandem significationem et Christus et fideles dicantur semen Abrahæ ? Solutio. Christus semen Abrahæ est corporaliter, quia de ejus stirpe natus : fideles semen Abrahæ spiritualiter sunt, id est justii per fidem, sicut ille fuit.

QUÆSTIO XXVII. *Sub elementis mundi eramus servientes* (Galat. iv). Si ergo Judæi etiam sub elementis serviebant, in quo a paganis distabant ? Solutio. Judæi sub elementis Deo, non ipsis elementis serviebant : pagani vero non Deo, sed ipsis elementis cultum divinum exhibebant.

QUÆSTIO XXVIII. *Ubi venit plenitudo, etc.* Quæritur cur adventus Salvatoris dicatur plenitudo temporis ? Solutio. Ideo quia hoc tempore adimplentur quæ præcedentibus temporibus erant prænuntiata, et magis proprie videretur dictum tempus plenitudinis, quam plenitudo temporis, et finis sæculi idem dicitur.

QUÆSTIO XXIX. *Misit Filium suum, etc.* Quæri-

tur unde et quo missus est Filius. Audi : *A Patre exivi, et veni in mundum* (Joan. xvi).

QUÆSTIO XXX. Sed dicet aliquis : Nonne in mundo erat, et mundus per eum factus est (Joan. i). Nunquid missus est illuc, ubi prius erat. Solutio. Prius erat in mundo per potentiam, et essentiam, sed cœpit aliter esse in mundo visibilis factus per servilis formæ susceptionem. Sicut ergo quando a Patre exivit, Patrem non deseruit ; sic in mundum venit, in quo prius erat. Quare autem missio Filii, vel Spiritus sancti, cum sit opus Trinitatis, Patri attribuitur, jam in præcedentibus dictum est.

QUÆSTIO XXXI. *Factum ex muliere.* Cum sit natus de virgine Dominus, quæritur cur Apostolus factum de muliere asserat ? Solutio. Usus est Hebrææ locutionis modo ponentis mulierem pro femina, ut Eva in Genesi nondum passa concubitum mulier vocatur. Nota quod expositor dicit quod Creator, qui semper erat, factus est, ut creatura esset ; quia factus est homo, ut fieret quod non erat ; non ut periret quod erat ; hoc dico propter quosdam, qui negant eum aliquid factum esse.

QUÆSTIO XXXII. *Factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, etc.* Nonne per mortem suam redemit tam eos, qui sub lege erant, quam eos, qui sine lege erant ? Quomodo ergo dicit Apostolus Christum sub lege factum, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, quasi per legis observationem eos redemerit ? Solutio. Factus est sub lege, ut eam impleret, et impletam cessare faceret ; et sic etiam Judæos a legis prævaricatione redimeret. Nisi enim legem observaret, in qua facta est promissio, quis crederet quod ipse esset semen Abrahæ promissum Abrahæ, in quo non solum Judæi, sed etiam omnes gentes benedicerentur ?

QUÆSTIO XXXIII. *Ut adoptionem filiorum recipere.* Quid vocat adoptionem ; an bona gratuita ad præsentem justitiam, an ad futuram gloriam pertinentia, per quæ efficimur filii ? Solutio. Quidam distinguendum putant inter filios adoptionis et filios gratiæ, ego autem arbitror eosdem esse.

QUÆSTIO XXXIV. *Misit Deus spiritum Filii sui, etc.* Nota Trinitatem hic manifeste significari. Sunt quidam, qui dicunt, quod sicut æterna Verbi generatio a solo Patre est, sic et temporalis ipsius missio ; quia secundum hos Patrem Filium mittere, est ipsum a Patre esse, et nobis in carne assumpta apparere. Similiter asserunt de Spiritu sancto, quod sicut æterna ipsius processio a Patre, et Filio, et non a semetipso est, sic et temporalis : sed Augustinus manifeste dicit quod tam Filii quam Spiritus sancti temporalis missio opus est Trinitatis : unde ipsius Filius dicit se missum a Spiritu sancto.

QUÆSTIO XXXV. *Clamantem : Abba, Pater.* Quæritur, cur Apostolus duo vocabula idem significantia posuerit ; videtur enim alterum superflue poni. Solutio. Ideo hoc facit, ut duos populos una fide conjunctos innueret. Hebraicum enim nomen Judæos, Græcum vocabulum gentilem populum signi-

ficat; eadem utriusque vocabuli significatio unitatem fidei et Spiritus figurat.

QUÆSTIO XXXVI. *His, qui natura dii non sunt.* Hic innuit quod una natura est Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Si enim Filius non est natura Deus; ergo nec colendus, nec adorandus. Sed opponitur sic nobis: Nonne humanitas Christi colitur et adoratur? nec tamen natura est Deus. Solutio. Quod est assumptum adoratur non propter se, sed propter assumentem; non ergo solam et nudam; sed Deitati unitam adoramus Salvatoris humanitatem.

QUÆSTIO XXXVII. *Imo cogniti sitis a Deo.* Nonne Deus omnia ab æterno novit? Quomodo ergo dicitur Deus tunc quasi primum nos cognoscere, quando incipimus in ipsum credere? Solutio. Tropica locutione quod Deo auctore agimus, ipsi attribuitur; unde dicitur: Postulat pro sanctis, quia facit eos postulare, sic cognoscere nos, quia præstat nobis sui cognitionem et quiescere, quia facit nos in seipso conquirere.

QUÆSTIO XXXVIII. *Quomodo convertimini iterum ad infirma, et egena?* Galatæ prius legem non tenebant; quomodo ergo dicit: *iterum convertimini ad egena*, etc. Solutio. Ut ostendat legalem observationem post Christi adventum distare parum, vel nihil ab idololatria. Vel ideo hoc dicit, quia non solum legem servare volebant, sed ad pristinos etiam errores convertebantur; sic duplici errore a pseudo circumventi erant.

QUÆSTIO XXXIX. *Et septimæ decadis septimum, qui jubilæus dicitur.* Quid est hoc quod dicit expositor? nonne quinquagesimus annus jubilæus dicebatur in lege? quomodo ergo septimæ decadis septimus annus jubilæus dictus est? nam septimus septimæ decadis est sexagesimus septimus. Solutio. Filii Israel aliquando captivitate pressi non potuerunt servare annum jubilæum suo ordine. Sexagesimo sexto autem anno data est licentia redeundi a Cyro, et Dario, et ex parte redierunt, et sexagesimum septimum annum coluerunt pro jubilæo. Sed dicit aliquis quod antequam septuaginta anni essent impleti, non sunt reversi de captivitate. Solutio. Non quidem generaliter et ex toto sunt reversi ante annum septuagesimum; tamen in anno sexagesimo sexto, ut prædiximus, quibusdam indulta est licentia redeundi, quod significatur per Alleluia, quod canitur in Sabbato post Parasceven, qui sexagesimus sextus dies est septuagesimæ. Sed quoniam adhuc quidam detinebantur in captivitate, sequitur tractus, qui est signum laboris, sicut alleluia est signum lætitiæ. Sequenti autem Sabbato canitur etiam secundum cum primo Alleluia præfigurans generalem reversionem Judæorum quæ est completis annis septuaginta.

QUÆSTIO XL. *Si potuisset fieri, eruissetis, etc.* Nonne illud fieri potuit quod ait Apostolus? Solutio. Sacra Scriptura illud dicit non posse fieri, quod juste non fit; unde Job ait: *Utinam possem me occidere* (Job. x): Et Dominus ad Loth: *Non possum*

quidquam facere, donec illo introeas (Gen. xix). Non posse se dixit, quod sine dubio poterat per potentiam, sed non per justitiam.

QUÆSTIO XLI. *Abraham habuit duos filios.* Nonne de Cetura post mortem Saræ plures filios habuit? Quomodo ergo dicit Apostolus eum duos habuisse quasi non plures quam duos? Solutio. Si plures quam duos, ergo duos; non enim dicit tantum duos, sed tamen potius de his quam de aliis dicit, quia Scriptura de istis singula prosequitur, innuens aliquid egregium præfigurari.

QUÆSTIO XLII. *Hæc autem sunt duo testamenta.* De hac et consimilibus locutionibus quæritur quomodo veræ sint. Nonne aliud est figura, aliud veritas; aliud significans, aliud significatum? quomodo ergo nomen veritatis prædicatur de nomine figuræ, cum dicitur: *Hæc sunt duo Testamenta, et petra erat Christus?* (I Cor. x). Solutio. Hoc verbum, esse, in hujusmodi locis; ponitur pro significare.

QUÆSTIO XLIII. Item cur sacra Scriptura in tali loco utatur verbo substantivo, potest quæri. Nonne planius esset, si diceretur: *Hæc autem significant duo testamenta, et petra figurabat Christum?* Solutio. Vocum est significare, rerum est esse proprie. In theologia vero non solum voces habent significationem, sed etiam res in altarum rerum ponuntur significationem, id est quædam res aliis rebus significantur. Quoties ergo Scriptura sacra vult ostendere, quæ res quam rem habeat significare, non dicit: hoc significat illud; sed hoc est illud, ut petra erat Christus; si enim diceretur petra significat Christum, videretur quod hujus nominis petra, et non hujus rei petræ demonstraretur significatio.

QUÆSTIO XLIV. Nota quod superius dicit, quod Ismael natus est secundum carnem; Isaac non secundum carnem, sed per repromissionem, sed nonne Isaac sicut Ismael natus est commistione utriusque sexus? quomodo ergo non est natus secundum naturam vel secundum carnem? Solutio. Ismael natus est usitata lege naturæ, scilicet ex naturalium causarum concursu; generatio vero Isaac non naturæ, sed divinæ virtutis, et gratiæ fuit operatio. Tali enim commistioni, quæ in tali ætate esse potuit inter Abraham senem, et Saram vetulam et sterilem natura non concedit filios; sed quod natura negavit, gratia contulit.

QUÆSTIO XLV. Sed quomodo tunc qui secundum carnem natus est, persequebatur eum qui secundum spiritum, vel repromissionem natus est; sic et nunc. Quæritur: Ubi hoc inveniatur quod Ismael persequeretur Isaac. In Genesi enim legitur, quod major cum minore ludebat (Gen. xxi). Quid ergo mali fecit? quid peccavit? quomodo ludendo tantum eum persequebatur? Solutio. Lusum majoris cum minore intellexit Sara esse delusionem. Unde et indignata ait: *Ejice ancillam, et filium ejus.* (Ibid.) Et Apostolus talem delusionem vocat persecutionem. Ita et nos magis persequantur delusores, quam aperti persecutores.

QUÆSTIO XLVI. *Si circumcidamini, Christus vobis*

nihil proderit (Gal. v). Nonne circumcidit Apostolus Timotheum? Ergo decepit eum, et fecit ut Christus nihil prodesset? Solutio. Hoc dicit de iis qui quærebant justificari ex circumcissione; et ideo se circumcidebant, et sic a gratia exciderunt, quam credebant insufficientem esse. Illis autem, qui eam ex quadam reverentia susceperunt, non tamen ponentes spem in ea, non erat pernicio-sa secundum Augustinum, secundum vero Hieronymum omnibus suscepta nocuit, nisi fieret dispensatio. De qua controversia superius plenius dictum est.

QUÆSTIO XLVII. *Testificor omni circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ.* Nunquid si universam legem impleat, etiam sic poterit justitiam consequi? Quod videtur ex his verbis, sed alibi manifeste habetur quod ex lege non est justitia. Item, nonne omnis homo tenetur, ut legem impleat, saltem secundum spiritum? Quid est ergo quod omnis circumcidens se hoc debet, non alius? Item: Nonne omnis tenetur, ut diligat proximum sicut seipsum? sed qui diligit proximum, totam legem adimplet. Nonne ex his videtur, quod omnis tenetur universam legem adimplere? Quid est ergo quod dicit: Testificor omni homini circumcidenti se, etc. Solutio. Qui ex circumcissione vel ex lege quærit justificari, tenetur ad hoc, ut justitiam habeat, vel dignus sit vita, ut impleat quidquid præcipitur in lege, scilicet ut nihil concupiscat; et Deum ex toto corde diligat, in quibus duobus consistit perfecta justitia; quam, si quis haberet, non indigeret gratia fidei, sicut nec angeli Dei, quæ nulli concessa est in præsentī, nisi soli Mediatori Dei et hominum: unde necesse est, ut si quis vult justificari vel beatificari, ad solam gratiam confugiat; si enim in lege quærit justificari, hoc exigitur ab eo quod non potest ab homine solvi.

QUÆSTIO XLVIII. *In Christo Jesu neque valet circumcisio neque præputium.* Dicit expositor quod iis qui sunt in Christo Jesu sunt vitia fugienda, virtutes appetendæ; media vero nec fugienda, nec appetenda, in quibus ponit circumcissionem. Unde videtur quod ipsa non prodest, neque obest; sed superius dictum est quod circumcisio non solum non prodest, sed etiam obest. Et Apostolus dicit: *Si circumcidamini Christus vobis non proderit.* Si ergo aufert nobis Christum, multum obest. Solutio. Circumcisio simpliciter suscepta, quod in ea non ponatur causa salutis, videtur esse indifferens, et sic non prodest, nec obstat; si autem hac intentione, et hoc animo, ut ex ea quærat salus, obest percepta.

QUÆSTIO XLIX. *Omnis lex in uno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Cum duo sint præcepta dilectionis, Dei scilicet et proximi, quæritur quomodo in dilectione proximi omnis lex impletur? Solutio. in dilectione proximi continentur dilectio Dei; quis enim potest diligere proximum propter Deum, nisi diligat Deum? Item nemo potest diligere proximum sicut se ipsum, nisi diligat

A se; nullus autem se diligit, nisi Deum diligat: quid est enim se diligere, nisi bonum suum amare? bonum autem verum et summum est Christus, Alioquin qui diligit iniquitatem, odit animam suam.

QUÆSTIO L. Quæritur quis sit proximus? Solutio. Omnis homo. Tenetur ergo ex præcepto omnem hominem diligere et exhibere officia pietatis omni indigenti.

QUÆSTIO LI. *Sicut temetipsum, etc.* Quæritur an debemus proximum quantum nosmetipsos diligere? Quod videtur, cum dicatur, sicut temetipsum. Solutio. Sicut non est quantitatis, sed qualitatis, hoc quidem tenemur aliis facere, quod volumus secundum rationem ab aliis nobis exhiberi. Nota: Cum utrumque præceptum de dilectione in utroque contineatur, sæpe ponitur unum potius quam duo, si enim utrumque simul poneretur, videretur quod alterum sine altero haberetur, vel posset haberi.

QUÆSTIO LII. *Caro concupiscit adversus spiritum.* Quæritur quomodo dicatur caro concupiscere, cum sola anima concupiscat. Solutio. Quod anima facit ex carne, hoc carni attribuitur, sicut auris dicitur audire, oculus videre, cum anima hæc per hujusmodi instrumenta agat.

QUÆSTIO LIII. Cum ergo secundum substantiam idem sit anima et spiritus, quo anima concupiscit adversus spiritum; nunquid adversus semetipsam? Solutio. Carnem concupiscentem vocat delectationem carnalem, quam anima habet ex carne. Nomine autem Spiritus significat delectationem spiritualem. Et propter has duas delectationes homo interior divisus est, et diversa sortitur vocabula. Secundum enim inferiorem delectationem, nunc caro, nunc homo, nunc anima vel animalis, vel carnalis dicitur; secundum vero superiorem dicitur spiritus, vel spiritalis, vel novus homo.

QUÆSTIO LIV. *Si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Quæritur quid est esse sub lege? Solutio. Timore pænæ, non amore justitiæ abstinere ab omni malo opere, hoc est esse sub lege. Ut ille dicitur esse sub lege, qui ex ea quærit justificari, qui debitor est universæ legis implendæ.

QUÆSTIO LV. *Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, etc.* Quæritur quomodo Apostolus inter opera carnis enumeret quædam quæ non sunt vitia carnis. sed potius animæ, ut ira, invidia, etc. Solutio. Nomine carnis totum significat hominem, qui secundum se vivendo in hæc cecidit. Credere enim omnia vitia ex carne esse, error est, ne diabolus, qui carnem non habet, ab his videatur immunis.

QUÆSTIO LVI. *Fructus autem spiritus sunt charitas.* Dicit expositor quod Apostolus opera spiritus vocat fructus, quia propter se petenda sunt. Sed Augustinus dicit quod virtutes propter solam beatitudinem petendæ sunt, propter se autem nihil amandum, nisi summum bonum, cujus fruitio nos beatos efficit. Quid ergo dicendum? quid tenendum? Solutio. Virtutes petendæ sunt propter se, quia posses-

sores suos sincera delectatione delectant, sed non tantum propter se, sed etiam propter beatitudinem, quæ est finis supremus.

QUESTIO LVII. *Si preoccupatus fuerit homo in aliquo delicto (Gal. vi), etc.* Queritur quid sit preoccupari, et quid vocet delictum. Solutio. Preoccupatur, qui ideo cadit in aliquod delictum, sive peccatum, vel quia ignorat quod agendum sit vel dimittendum, vel cum cognoscit, sed tamen infirmitas ad peccandum impellit. Delictum est boni desertio, sicut peccatum mali perpetratio, vel delictum est quod ignoranter fit; peccatum quod a sciente, indifferenter tamen unum pro altero ponitur.

QUESTIO LVIII. *Unusquisque onus suum portabit, etc.* Queritur quomodo utrumque sit verum. *Alter alterius onera portate, etc.*, et hoc, quod hic dicit: Unusquisque onus suum portabit? Solutio. Alia sunt onera participande infirmitatis, de quibus superius egit; alia sunt reddende Deo rationis de actibus nostris, de quibus hic agit. Verum est itaque quod in presenti debemus subvenire invicem; et qui fortiores sunt aliorum infirmitates sustinere; et tamen in futuro unusquisque onus suum portabit, id est pro peccato suo et non pro peccato alterius.

QUESTIO LIX. *Operemur bonum ad omnes, etc.* Queritur an præcepto teneamur officia pietatis impendere etiam inimicis? Quod videtur, cum Apostolus dicat: Operemur bonum ad omnes; et Do-

minus in Evangelio: *Diligite inimicos vestros; benefacite eis qui oderunt vos (Luc. vi)*. Sed Augustinus ait: Diligere inimicos non est tantæ multitudinis, quantum credo exaudiri in Dominica oratione, ubi dicitur: *Dimitte nobis debitum nostrum, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris (Matth. vi)*. Et Gregorius ait: Sufficit non odisse inimicos, id est salutem eorum velle; et si opera misericordie non eis impendantur. Solutio. Præcepto tenemur omnium salutem velle; sed impendere etiam officia pietatis inimicis quantum ad infirmos, et minus perfectos, consilium est, quantum ad perfectos Præceptum. Diligenter ergo notandum est quid secundum consilium, quid secundum præceptum dicatur.

QUESTIO LX. Item quando constat, quod bonum sit benefacere malis, et peccatoribus, et impiis, quid est quod dicit Scriptura: *Da misericordiam, et ne suscipias peccatorem, et impiis, et peccatoribus redde vindictam, et benefac humili, et ne dederis impio (Eccles. xii)*. Solutio. Sensus prædictarum auctoritatum est ut nulli peccatori ideo benefacias, quia peccator est, sed quia homo, id est nullius culpam debemus fovere, sed naturam. In unoquoque diligamus quod Deus diligit, et odiamus quod ipse odit; si autem non possumus omnibus tam bonis quam malis subvenire, famulis Dei bona, que possumus, debemus impendere; unde Apostolus: *Maxime autem ad domesticos fidei.*

V.

IN EPISTOLAM AD EPHESIOS.

(*Ephes. i.*) *Paulus, apostolus, etc.* Hanc Epistolam scribit Ephesiis, quos in fide Paulus non fundavit, sed ab Joanne apostolo fundatos confirmavit, qui firmiter in fide et bonis operibus persisterunt, quos hortatur ut in bonis proficiant, scribens eis a Roma de carcere. Est itaque materia apostoli in hac epistola status Ephesiorum, in quo tunc erant. Intentio vero, eos in bonis habitis confirmare ad ulteriora provocare, nec non ad humilitatem actionemque gratiarum informare. Modus agendi talis est: more suo salutationem præmittit; deinde agit gratias, exponens multiplicia Dei beneficia, tum generi humano, tum ipsis apostolis, tum ipsis Ephesiis per solam gratiam collata. Deinde Christi dignitatem et prælationem ostendit. Postea ad patientiam et charitatem eos invitat, unitatem fidei et Ecclesiæ commendans, et dona gratiæ enumerans, tandem ad certamen exhortans, contra principes tenebrarum militiæ Christianæ armaturam describit.

QUESTIO I. *Benedictus Deus, qui benedixit nos, etc.* Cum benedici dicatur de Deo et de homine, queritur an eodem modo dicatur, et secundum eandem significationem. Solutio. Alter, et aliter de

utroque. Nam Deus ab homine benedicitur, cum dignis laudibus extollitur; homo vero a Deo benedicitur, cum Deus ei munera gratiæ suæ impertitur.

QUESTIO II. Dicit expositor quod Apostolus hic ponit duas præordinationes: unam de presenti justitia, alteram de futura corona. Sed cum una sit Dei prædestinatio, quæ est ipse Deus, queritur quomodo due dicantur? Solutio. Non ideo due dicuntur, quin una sit; sed quia duos habet effectus, scilicet per presentem justitiam, et futuram gloriam. Cui solutioni sic objicitur: Si numerus prædestinationum assignandus est secundum numerum effectuum, jam erunt infinite prædestinationes, cum sint infiniti prædestinationis effectus. Solutio. Omnes justitiæ, quia numero et non specie differunt, unus effectus dicuntur esse, sic et omnes coronæ, quia non specie, sed solo numero discernuntur, unus effectus prædestinationis dicuntur. Quoniam vero præsens justitia et futura gloria non solum numero, sed etiam specie differunt, non incongrue duo effectus prædestinationis dicuntur. Notandum quod multa sunt hujusmodi, quæ cum sint plura numero, et unum specie, simpliciter non plura, sed

unum secundum usum loquendi dicuntur, ut fides mea et fides illius cum duæ sint numero, non tamen duæ simpliciter, sed una dicuntur; quia una sunt specie; sic de herba, de voce, de intellectu, visu et multis aliis, littera, figura, elemento, vocali, differendum est.

QUÆSTIO III. *Sicut elegit nos, ut essemus sancti, etc.* Dicit Pelagianus quod eos quos Deus ab æterno elegit, ideo eos elegit, quia præsciebat eos futuros bonos et per liberæ voluntatis arbitrium, non quia eos erat sanctificaturus. Sed hanc ejus hæresim destruit Apostolus cum dicit: Elegit nos, ut essemus sancti, et immaculati; non dicit quia futuri eramus sancti; sed ut essemus. Si enim hoc esset quod dicit Pelagianus, justificatio nostra causa esset divinæ electionis, non divina electio causa nostræ justificationis, et sic quod est temporale causa esset ejus quod est æternum, non e converso: quod non potest esse.

QUÆSTIO IV. *In quo habemus redemptionem, etc.* Queritur an idem vocet redemptionem et remissionem peccatorum? si idem videtur, quod alterum superflue positum sit. Solutio. Redemptionem, pretium illud, per quod redempti sumus, vocat, per quod datur facultas nobis redeundi; remissio vero peccatorum, quæ nobis confertur in baptismo, effectus est ipsius redemptionis.

QUÆSTIO V. *Instaurare omnia, quæ in cælis sunt, etc.* Cum Christus pro angelis non sit mortuus, queritur quomodo ea quæ sunt in cælis per Christum sint restaurata? Solutio. Ideo hoc dicitur, quia qui per gratiam salvantur, suppleant numerum angelorum diminutum; vel per ea quæ in cælis sunt, intelligit animas, quæ jam sunt in cælo; per ea quæ in terris sunt, sanctos adhuc in hac vita degentes.

QUÆSTIO VI. *Signati estis Spiritu sancto, qui est pignus hæreditatis.* Queritur quomodo Spiritus sanctus dicatur pignus hæreditatis nostræ; nonne pignus est illud quod ad tempus pro aliquo pretio datur, et iterum cum pretium solvitur, illud auferitur? nunquid ergo Spiritus a nobis auferitur, cum ipsa hæreditas nobis datur? Solutio. Pignus hic ponitur pro arrha, quæ est de ipso pretio, nec auferitur cum pretium solvitur; unde quidam codices habent arrham, non pignus.

QUÆSTIO VII. *Constituens ad dexteram suam, etc.* Deus Spiritus est, nec corporis forma finitur, vel concluditur: quomodo ergo dicitur Filius sedere ad dexteram Patris, cum Pater non habeat latus dextrum vel sinistrum, quia non habet corpus? Solutio. Per dexteram Dei in sacra Scriptura quandoque significatur æterna beatitudo, quandoque æqualis divinæ naturæ, quandoque judiciaria potestas. Est enim Christus ad dexteram Patris, quia in Patris majestate manet æqualis, et quia *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (Joan. v). Per dexteram ergo Dei vel per manum, vel brachium, vel digitum, vel oculum, vel aurem, et similia, nihil corporale debet intelligi, sed totum spiritualiter.

A QUÆSTIO VIII. *Supra omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo, etc.* Nonne novem sunt ordines angelorum? Angeli, archangeli, virtutes, potestates, principatus, dominationes, throni, cherubin, seraphin, et non sunt plures iis, qui in præsentem omnes nominantur. Quomodo ergo dicit: Constitutum super omne quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro, quasi aliqui sint in futuro nominandi, qui in præsentem non nominantur. Solutio. Quorundam angelorum denominationes datæ sunt eis secundum officia quæ nobis exhibent in præsentem, ut angeli, archangeli, virtutes, potestates, principatus, dominationes: ideo dicuntur nomina in præsentem, quia hoc modo eorum denominatio spectat ad præsentem. Unde in futuro evacuabuntur, quando Christus tradet regnum Deo et Patri, quando Deus erit omnia in omnibus. Quorundam vero angelorum denominationes ad futurum statum spectant, ut throni, cherubin et seraphin; unde nec in futuro evacuabuntur, sed super omnes hos ordines supercælestium spirituum sublimata est humanitas Salvatoris.

QUÆSTIO IX. *Et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* Queritur secundum quam naturam, scilicet divinam an humanam, Christus sit caput Ecclesiæ. Solutio. Potest dici quod secundum divinam, secundum quam caput, principium, et auctor est omnium fidelium. Cui solutioni sic objicitur: Eadem ratione potest dici quod sit caput lapidis, et omnis creaturæ, quorum est auctor; et nihil diceretur de Ecclesia. Ideo dicimus, quod Christus proprie secundum humanitatem est caput Ecclesiæ.

QUÆSTIO X. Quare Christus dicitur caput Ecclesiæ. Quare dicitur caput esse, non inconvenienter potest queri. Solutio. Ideo Christus caput Ecclesiæ dictus est, quia sicut in capite hominis plene sunt omnes sensus carnales, scilicet visus, auditus, odoratus vel olfactus, gustus et tactus; sic in Christo est plenitudo omnium sensuum spiritualium, scilicet plenitudo gratiæ, de cujus plenitudine nos omnes accepimus (Joan. 1), unde et membra dicimur, quasi aliquem sensum non omnes habentes, sicut cætera membra corporis unum solum sensum habent; nullum habet omnes præter caput.

D QUÆSTIO XI. *Eramus natura filii iræ* (Ephes. 2), etc. Deus est auctor naturæ: si ergo natura sumus filii iræ, videtur quod Deo auctore hoc sumus. Solutio. Natura tribus modis accipitur in sacra Scriptura, scilicet pro illo integro et interrupto bono, in quo conditus est homo, secundum quam accceptionem dicitur quod omnis creatura Dei bona est. Dicitur etiam natura corruptio peccati, in qua concipitur, et cum qua nascitur omnis homo, et sic accipitur hic cum dicitur: *Eramus natura filii iræ*. Vitium enim inolevit pro natura: quia ergo pro culpa originalis peccati, cum quo nascimur, digni sumus gehenna, ideo dicimur natura filii iræ. Accipitur etiam natura pro reliquiis illius boni naturalis, quæ remanserunt in nobis post peccatum, et

sic accipitur, ubi legitur quod *Gentes naturaliter A* *faciunt ea, quæ legis sunt* (Rom. II).

QUÆSTIO XII. *Mihi omnium sanctorum minima data est gratia* (Ephes. III). Cum Apostolus non esset minimus in numero omnium sanctorum, imo inter apostolos unus de primis esset, quomodo verum dicat se minimum omnium nominando. Solutionem hujus quæstionis quære super illum locum: *Ego sum minimus apostolorum*, in prima Epistola ad Corinthios.

QUÆSTIO XIII. *Investigabiles divitias Christi*, etc. Queritur quomodo Apostolus intellexit vel evangelizavit, si investigabiles sunt divitiæ. Investigabiles enim res dicuntur, quæ non possunt comprehendi. Solutio. Quæ natura sua investigabiles, per gratiam et revelationem sancti Spiritus factæ sunt vestigabiles non solum Apostolo, sed etiam cæteris fidelibus, quos ipsa unctio docet de omnibus.

QUÆSTIO XIV. *Sacramenti absconditi*, etc. Queritur; quæ dicantur abscondita. Solutio. In mundo causæ abscondite sunt omnium quæ naturaliter fiunt. In solo autem Deo abscondite sunt causæ omnium, quæ per gratiam fiunt. De his duobus generibus causarum jam in superioribus aliquantum dictum est.

QUÆSTIO XV. *Ut innotescat principibus, et potestatibus in cælestibus per Ecclesiam*, etc. Queritur an mysterium incarnationis fuerit revelatum super cælestibus essentiis ante ipsius impletionem. In solutione hujus quæstionis videntur contrarii Hieronymus et Augustinus. Dicit enim beatus Hieronymus, angelicas dignitates ad purum non intellexisse supra memoratum sacramentum; unde sic quærent: *Quis est iste, qui venit de Edom?* (Isa. LXIII.) Et alibi: *Quis est iste rex gloriæ?* (Psal. XXIII.) Beatus vero Augustinus dicit, quod non latuit angelos mysterium regni cælorum; unde littera diversis exponitur modis. Ut innotescat, etc. Hæc autem contrarietas, quæ videtur esse inter prædictos doctores sic potest solvi: illis, qui majoris dignitatis sunt, revelatum est prædictum sacramentum; aliis vero non ad purum, ut dicit beatus Hieronymus. Quod autem angeli crescant quotidie in cognitione, ex iis quæ in mundo fiunt multi consona voce asserunt doctores. Unde nos quasi pro certo hoc habemus, cum canonica Scriptura hoc videatur manifeste innuere.

QUÆSTIO XVI. *Ex quo omnis paternitas in cælis, et in terra nominatur*. Ex hoc loco habemus, quod non solum Deus Pater noster est, sed et angeli, et homines patres nostri dicuntur. Sed alibi dicit Dominus: *Unus Pater est vester, qui est in cælis* (Matth. XXIII). Si ergo unus est, quomodo plures? vel si plures, quomodo unus? Solutio. Sicut Deus, qui solus verè est, et solus verè bonus est, essentiæ et bonitatis suæ nomen cæteris impertit, ut ipsa quoque et esse, et bona dicantur; ita et ipse, qui solus verè Pater est omnium creatione, et fidelium regeneratione, paternitatis nomen cæteris concessit. Sciendum est ita, quod Deus Trinitas omnium Pater est creatione

et fidelium regeneratione. Deus vero ingenitus solus Pater est Unigeniti per naturam. Angeli vero patres nostri dicuntur auctoritate exempli, ratione beneficii, cura, et providentia. Homines vero patres et natura, et auctoritate exempli et ratione beneficii; et cura, et providentia.

QUÆSTIO XVII. *Quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas*. Quæ sit latitudo dilectionis, quæ longitudo æternitatis; quæ sublimitas potentiæ, quod profundum scientiæ, secundum hoc, quod de Deo exponitur, talis potest esse intelligentia.

QUÆSTIO XVIII. *Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi*. Si charitas Christi supereminet scientiæ, quomodo potest sciri? si non potest sciri, quomodo orat Apostolus, ut eam sciant discipuli? Solutio. Quæ scientia humana non potest comprehendi, per gratiam ex parte cognoscitur, quod ut fiat Apostolus orat.

QUÆSTIO XIX. *Ut impleamini in omnem plenitudinem Dei*, etc. Nonne minus habebimus quam ipse Deus? quomodo ergo possumus impleri in omnem plenitudinem Dei? quomodo potest aliquis habere plenitudinem Dei, et non esse plenus Deus et æqualis Deo? Solutio. Sensus est, ut sitis pleni Deo, non plenus Deus. Hoc est in plenitudinem omnem impleri; in præsentem habere plenitudinem virtutum, et in futuro plenitudinem gloriæ; non enim optat Paulus alicui plenitudinem divinæ naturæ conferri, sed ut simus pleni Deo in præsentem et in futuro.

QUÆSTIO XX. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma* (Ephes. IV). Quomodo intelligantur? Solutio. Unus Dominus Pater, et Filius, et Spiritus in natura, non in persona. Una fides non in numero, sed genere, quia similis in omnibus, sicut omnium idem volentium dicitur esse eadem voluntas. De fide jam dictum est. Unum baptisma dicitur, quia æquale est, et ejusdem essentiæ a quocunque detur, et ideo etiam quia non potest reiterari.

QUÆSTIO XXI. *Dedit dona hominibus*. David dicit: *Accepisti dona in hominibus* (Psal. LXVII); si dedit, quomodo accepit? vel si accepit, quomodo dedit? Solutio. Tanquam Deus dedit; accepit non solum in semetipso secundum quod est homo, sed etiam in membris suis, in quibus est, de qua acceptione agit Propheta: unde dicit: *Accepisti dona in hominibus*.

QUÆSTIO XXII. *Quæ dona dedit ascendens*. Queritur quæ dona dederit ascendens. Solutio. Spiritum sanctum, et dona etiam, quæ non sunt Spiritus sanctus, quæ cum dat etiam in ipsis dat Spiritum sanctum, non seorsum dat Spiritum sanctum, et dona ejus, quæ non sunt ipse, sed dando Spiritum sanctum dat dona; et dando dona Spiritus sancti donat ipsum. Hoc dico propter eos qui nolunt concedere Spiritum sanctum dari, cum sit immutabilis, sed dona ejus tamen. Tunc enim dicitur Spiritus sanctus nobis dari a Patre, et Filio, et etiam a semetipso, cum cordibus nostris per charitatem hanc vir-

tutem infundit ad hoc, ut diligamus Deum et proximum.

QUÆSTIO XXIII. Cum Christus sit Deus et homo, quæritur secundum quam naturam dedit dona? Solutio. Secundum eam dedit, ut dicit expositor, secundum quam ascendit, et descendit, et sic secundum quod est homo dedit; quia divinitas, quæ est ubique, nec descendit, nec ascendit. Sed hoc videtur esse contrarium prædictis, ubi asseruj, quod tanquam Deus dedit, non tanquam homo: Cum ergo legitur, quod tanquam homo vel secundum humanitatem dedit, sic intelligi debet, qui est homo; non quia est homo, sed quia est Deus.

QUÆSTIO XXIV. An Deitas descendit, et quomodo. Item dicit alia expositio, quod Christus secundum Deitatem descendit, et secundum humanitatem ascendit, quod videtur contrarium superioribus. Dicitur enim quia divinitas quæ ubique est, nec descendit, nec ascendit, hic autem dicitur quod Deitas descendit: quid ergo tenendum est? Solutio. Cum dicitur quod Deus descendit, hoc intelligitur de descensione incarnationis, qua Deus factus est homo. Cum dicitur quod homo descendit, hoc debet intelligi de descensione ad inferos, quæ fuit tantum secundum animam, non secundum corpus, quod jacuit in sepulcro, nec secundum Deitatem, quæ ubique erat.

QUÆSTIO XXV. *In virum perfectum*, etc. Quæritur qua perfectione. Solutio: Nec perfectio potest intelligi vel de toto Christo, id est corpore et capite, vel de singulis membris. Christus enim in se consummatus, in aliis crescit et proficit, sed in futuro tandem perficietur, ut nec viribus, nec numero aliquid superaddatur. Unusquisque etiam tunc erit vir perfectus, tam virtutum consummatione quam corporis statura. Unde sequitur: *In mensuram ætatis plenitudinis Christi*. Unusquisque enim in ea perfectione resurget, in qua erat, vel ad quam perventus erat, cum esset triginta annorum; non enim omnes erunt ejusdem magnitudinis vel illius, cujus Christus erat de hac vita exiens.

QUÆSTIO XXVI. *Irascimini, et nolite peccare*, etc. Permittit Apostolus irasci, quod non potest vitari, sed Dominus prohibet irasci dicens: *Quicumque irascitur fratri suo, reus est iudicio* (Matth. v). Unde videtur quod illud quod Dominus prohibet, Apostolus permittat. Item dictum est superius: quod nihil prohibetur in Novo Testamento, quod non possit vitari, sicut nec aliud præcipitur, quod non possit impleri; quod non videtur esse verum, si Dominus prohibet irasci, et nullus possit vitare irasci. Solutio. Primus motus iræ, qui non est in potestate nostra, permittitur ab Apostolo: Dominus autem non prohibet primum motum, qui dicitur propassio, sed voluntatem, et propositum nocendi alteri. Aliud itaque permittitur ab Apostolo, et aliud prohibetur a Domino, quod potest vitari gratia adjuvante.

QUÆSTIO XXVII. Quæ sint portæ mortis et vitæ. Nota quod concupiscentia, et timor mundi duæ sunt

portæ mortis, per quas intrat diabolus; sicut timor et amor Dei sunt portæ vitæ, per quas intrat Christus. Uterque stat ad ostium; et Christus pulsat; et diabolus; sed hostis expellitur, Christus introducitur.

QUÆSTIO XXVIII. *Nolite contristare Spiritum sanctum*, etc. Quæritur quomodo quis possit Spiritum sanctum contristare, cum impassibilis sit nec tristitiæ passionem possit in se suscipere. Solutio. Quodam tropo usus est in theologia satis usitato; quo ea, quæ Deo auctore in nobis fiunt, ipsi attribuantur; quia illi ergo, quos implet charitate, sicut gaudent de profectibus aliorum, sic contristantur de lapsibus cadentium, dicit Apostolus: *Nolite contristare Spiritum sanctum*, id est eos in quibus habitat Spiritus sanctus per charitatem.

QUÆSTIO XXIX. *Donate invicem*, etc. Dicit Scriptura: *Nisi dimittamus conservis nostris, quod Deus repetit dimissa; sed quæritur quomodo Deus repetit? Nunquid iterum puniet Deus pro peccatis pro quibus jam satisfactum est per cordis contritionem, et oris confessionem, et per dignos fructus pœnitentiæ. Nunquid bis puniet in idipsum? Solutio. Ad hoc, ut aliquis faciat dignos fructus pœnitentiæ, exigitur ut de cætero non peccet mortaliter; unde quicumque post pœnitentiam peccat, inutilem sibi priorem satisfactionem reddit.*

QUÆSTIO XXX. Quid bis punire in idipsum? Bis autem punire in idipsum est pro peccato per pœnitentiam deleto, nec repetito, in alia vita iterum punire, quod Deus non facit. Si aliquis autem pœnitens affligitur pro aliquo peccato et iterum idem repetat; si in hac vita vel in alia pro illo iterum puniatur, hoc non est bis punire in idipsum.

QUÆSTIO XXXI. *In odorem suavitatis* (Ephes. v). etc. Si mors Christi fuit Deo suavis odor, ergo mortem ejus libenter accepit; ergo non peccaverunt Judæi, qui illum crucifixerunt; quia id fecerunt, quod bonum erat, et Deo placuit. Solutio. Actio Judæorum mala erat, nec Deo placebat id quod fiebat ab eis; sed passio Christi bonum fuit, et salutis nostræ causa.

QUÆSTIO XXXII. *Dies mali sunt*, etc. Nonne dies habent esse ex Deo auctore, sicut scriptum est: *Tuus est dies, et tua est nox?* (Psal. LXXIII.) Quomodo ergo dicuntur mali? Solutio. Pro malitia, et miseria hominum dicuntur dies mali; alioquin quantum ad horarum spatia ordinati sunt, et boni.

QUÆSTIO XXXIII. *Nemo carnem suam odio habuit*, etc. Nonne viri sancti carnem oderunt, persequuntur, crucifigunt et mortificant, non nutriunt, nec fovent? quomodo ergo verum est. Nemo carnem suam odio habuit? Solutio. Sancti non carnem, sed carnis vitium oderunt, et persequuntur.

QUÆSTIO XXXIV. *Propter hoc relinquet homo patrem*. Quæritur quomodo hoc ad Filium Dei pertineat, qui nunquam Patrem deseruit, sed semper cum eo inseparabiliter permansit? Solutio. Quia Filius in forma, qua patri æqualis est, nobis non

apparuit, dictus est Patrem deseruisse vel reliquisse; nunquam tamen ab eo recessit: in mundum venit, et Patrem non deseruit.

QUESTIO XXXV. *Qui uxorem suam diligit.* Quæritur de qua dilectione hic agat; si enim de dilectione, qua diligimus nos mutuo propter Deum, sensus est: Qui diligit uxorem suam, *seipsum diligit*, id est facit quod sibi utile est: secundum hoc ita posset dicere de quolibet proximo. Solutio. Hoc ideo dicit Apostolus, quia magis instat viro providere uxori quam alii: unde si propter Deum acquirit ei necessaria, et regit, et se diligit, id est, facit quod sibi utile est; quia inde meretur apud Deum.

QUESTIO XXXVI. *Servi, obedite dominis vestris (Ephes. vi).* Hic quæritur an liceat Christiano servum habere, cum hoc Apostolus permittat. Catholica quoque, et maxime Gallorum Ecclesia hoc recipit. Solutio. Melius esset hujusmodi servitutem non exigere, nec Ecclesia quasi bonum recipit, sed quasi malum tolerat.

QUESTIO XXXVII. *Filii, obedite parentibus vestris; et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios.* Quæritur quare Apostolus præcipiat parentibus ut filios diligant, et filiis ut parentes honorent,

A cum natura ad se mutuo diligendos compellat. Solutio. Naturalis amor non habet meritum, nisi propter Deum fiat: ideo præcipit ut se propter Deum diligant, et sic meritum habeant.

QUESTIO XXXVIII. *Non est nobis colluctatio contra carnem.* Nonne sancti pugnant contra carnem et sanguinem, contra malos homines, vel contra vitia, quæ ex carne et sanguine oriuntur? quomodo ergo dicit: *Non est nobis colluctatio, etc.?* Solutio. Non est nobis colluctatio tantum contra carnem et sanguinem, sed etiam contra dæmones.

QUESTIO XXXIX. *Adversus mundi rectores.* Nonne Deus, qui mundum condidit, mundum gubernat, et regit, ut idem sit conditor et rector? quomodo ergo dæmones vocat Apostolus mundi rectores. Solutio. Hic nomine mundi signat mundi amatores. Hic est mundus, qui totus in maligno positus est: hic est mundus, in quo non reperitur nisi concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitæ: hunc mundum vocat Apostolus tenebras, subjungens *harum tenebrarum*, et alibi dicens: *Fuistis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino (Ephes. v).*

VI.

IN EPISTOLAM AD PHILIPPENSES.

(*Philipp. i.*) *Paulus et Timotheus, etc.* Hanc epistolam scribit Apostolus Philippensibus, qui sunt Mædones. Sunt enim Philippi metropolis civitas in Mædonia, quæ est quædam provincia in Græcia, quam ædificavit Philippus pater Alexandri, vocans eam nomine suo. Hi autem accepto verbo prædicationis ab Apostolo firmi in fide fuerunt, nec pseudo receperunt. Hos ergo munit contra duplex bellum, scilicet tribulationum et pseudopredicatorum. Est itaque intentio Apostoli in hac epistola cohortari Philippenses ad patientiam contra tribulationes, et ad constantiam contra pseudoapostolos. Modus talis: more solito salutem præmittit. Deinde gratias agit pro eis, implorans eis majora bona, ut virtutibus crescentes ad perfectionem perveniant. Deinde ad patientiam tribulationum monet exemplo suo, et Christi. Postea ut sibi caveant a versutiis pseudoapostolorum. Tandem admonitionem mortalem interserit, et prope finem de gratia, quam sibi Romani per Epaphroditum miserant, se gaudere dicit.

QUESTIO I. *Quid enim? dum omni modo sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur.* Quæritur quomodo permittat Apostolus malis prædicare evangelicam doctrinam cum alibi scriptum sit: *Peccatori dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas (Psal. xlix)? etc.* Item: *Non est speciosa laus in ore peccatoris (Eccli. xv).* Item: Cujus vita despicitur, restat ut prædicatio ejus negligatur. Solutio. In hujusmodi prædicator increpatur propter se, non propter alios. Non enim sibi prodest,

C sed aliis quod prædicat: unde laus Dei in ore peccatorum non est speciosa. Tolerandi ergo sunt mercenarii. Unde Dominus: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisei: quæ dicunt facite (Matth. xxv), etc.* Itaque prædicatores, qui pro veritate prædicant, diligendi sunt; mercenarii, qui ex occasione et temporali commodo veritatem annuntiant, permittendi sunt; fures et latrones, sive lupi, cavendi, imo fugiendi sunt.

QUESTIO II. *Quid eligam, ignoro, etc.* Quæritur quomodo Apostolus dubitet utrum eligat, an manere in carne, an dissolvi et esse cum Christo (*Philipp. i.*), cum sciat quod quanto pugna fortior, tanto corona major. Nonne sciebat majoris meriti esse pugnare quam quiescere? Solutio. Affectus ad utrumque trahebat: idcirco dicit se ignorare quid eligat. Dubitat ergo Apostolus ex affectu, non ex ignorantia. Sed tunc quæritur: Quomodo dicat multo melius esse dissolvi et esse cum Christo. Solutio. Melius, hic ponitur pro suavius et securius.

QUESTIO III. *Vobis donatum est non solum, ut in eum credatis, sed etiam ut pro ipso patiamini, etc.* Quæritur an ipsum pati sit bonum, et an sit donum Dei? quod si est, appetendum est. Solutio. A quo est fides credentium, ab eo est tolerantia patientium. Pœna autem ipsa in se non est bona, nec propter se appetenda, nec inter dona Dei debet enumerari. Pati tamen pro Christo bonum est et desiderandum; quia magnum habet meritum. Nec Apostolus dicit simpliciter: *Vobis donatum est pati;*

sed sic : Vobis donatum est pro Christo pati.

QUÆSTIO IV. *Qui cum in forma Dei esset (Philipp. II).* Quæritur quid hic notet forma. Solutio. Forma aliquando ponitur pro representatione, aliquando pro veritate rei, ut hic : Qui cum in forma Dei esset, id est in veritate divinæ essentiæ et in æqualitate substantiæ ; sicut enim homo hominem, canis canem gignit (31), sic Deus Deum genuit per omnia æqualem, non imparem : unde et Filius dicitur esse hoc, quod Pater est et quoniam hoc potest secundum personam, et naturam intelligi, Augustinus ostendit hujus dicti intelligentiam, dicens : Ideo Filius dicitur id quod Pater est, quia sicut Pater est Deus, sic et Filius, et sicut Pater est omnipotens, sic et Filius, et sicut Pater est immutabilis, sic et Filius. Ideo enim unum, et summe unum sunt Pater et Filius, quorum nulla est diversitas naturæ vel voluntatis. Utrumque ergo dicit Scriptura, quod Filius est æqualis Patri, et quod Pater major est Filio, sed hoc secundum formam servi, illud autem secundum formam Dei.

QUÆSTIO V. *Et habitu inventus est ut homo, etc.* Quot modis aliquid habetur? Solutio. Quatuor modis aliquid alicui accedit, ut habeatur, vel sic ut mutet et non mutetur, ut sapientia vel sic ut mutet et mutetur, ut cibus ; vel sic ut nec mutet nec mutetur, ut annulus ; vel sic ut non mutet sed mutetur, non a sua natura, sed a quadam priori forma, ut vestis, quando induitur ; non mutat hominem, sed mutatur ; non a natura sua, sed accipit speciem et formam, quam dejecta non habuit, secundum quam comparationem et similitudinem intelligitur incarnatio : sic enim forma servi accessit ad formam Dei, ut eam non mutavit vel convertit, sed ipsa forma servi est mutata, non a natura sua, sed in excellentiorem et digniorem statum, quam prius fuerat. Hoc ergo totum, quod Augustinus dicit de habitu, ideo adducit ut ostendat, quod quando Verbum caro factum est non est mutatum vel conversum in hominem ; sicut nec homo mutatur in vestem, quando ea induitur. Hoc autem, quod quidam addunt de suo, quod sicut homo quando induitur veste sua, non fit aliquid ; sic nec Deus, quando formam servi accepit, factus est aliquid : hoc, inquam, non habent ex verbis Augustini, nec alterius sancti, cum sit falsum : si enim in omnibus volunt tenere similitudinem adductam de veste, oportet eos concedere, quod sic homo non fit vestis, quando ea induitur ; ita nec Deus homo, quando forma se servi induit, factus sit. Si enim Christus non est nisi id quod fuit ab æterno, nullum esse habuit commune cum matre ; ergo non consubstantialis matri ; quia nullum substantiale dicitur de utroque. Dum enim dicitur : Christus est homo, et Virgo mater Domini est homo, non idem significatur, hoc nomine, homo, secundum hos novos hæreticos. De his plenius dictum super Epistolam ad Romanos.

A QUÆSTIO VI. *Qui humiliavit semetipsum factus obediens, etc.* Quæritur an Christus aliquid meruit. Solutio. Nobis, non sibi meruit. Nos enim per ejus meritum facti sumus digni vita æterna ; ipse vero per mortem suam sibi non acquisivit aliquid, quo prius dignus non erat. Dici tamen potest : Vere per humilitatem passionis meruit claritatem resurrectionis, scilicet impassibilitatem et immortalitatem. Non dico quod Christus, nisi moreretur, immortalis et impassibilis non fieret ; sed dico quod tale meritum tali præmio erat dignum.

B QUÆSTIO VII. Quæritur quomodo simul in eadem anima potuerit esse summa beatitudo et tristitia : ante enim passionem hæc duo fuerunt in Christo. Quod enim ibi fuerit beatitudo secundum mentem ex quo fuit homo, credendum est : alioquin, quomodo esset verus Deus, non video. Item quod ibi fuerit tristitia constat, cum ipse dicat : *Tristis est anima mea usque ad mortem (Matth. xxvi).* Solutio. Sicut in Paulo fuit vis inferior et vis superior, sic in Christo fuit vis inferior, animæ scilicet motus, vel affectus quidam, qui mortem horrebat : ratio tamen superior in sua beatitudine vigeat. Non enim affectus carnis in ipso sicut in cæteris, rationem impediabat in aliquo, ut minus divinitate contempleretur.

C QUÆSTIO VIII. Item quæritur quomodo majorem beatitudinem non habuit post resurrectionem, quando immortalitatem et impassibilitatem induit? Solutio. Non tunc habuit plus quantum ad mentem, sed quod prius habuit, tunc quietius possedit, sicut rex quietius et securius regnum suum possidet cessantibus infestare inimicis.

QUÆSTIO IX. *Propter quod donavit, etc.* Nonne prius habuit nomen, quod est super omne nomen? Quomodo ergo dicit, Propter quod donavit? non solum enim secundum quod Deus est, datum est ei hoc nomen ab æterno secundum naturam, sed etiam secundum quod est homo a sui conceptione datum est illud homini assumpto secundum gratiam. Solutio. Tunc res dicitur fieri, quando innotescit : quod enim prius habuit, tunc primum post resurrectionem hominibus et dæmonibus innotuit.

D QUÆSTIO X. Item quæritur cui datum sit hoc nomen, an Deo, an homini? Solutio. Augustinus dicit quod homini et non Deo datum est nomen *quod est super omne nomen (Philipp. II)*, scilicet ut sit Deus et Filius Dei per gratiam non participationis, sed unionis, et totum habeat homo assumptus per gratiam, quod habet Deus genitus per naturam. Per gratiam itaque homo habet, ut sit filius, non filius gratiæ, sed filius naturæ. Aliter dicit Ambrosius quod Deo non homini datum est nomen, quod est super omne nomen.

QUÆSTIO XI. Sed nunquid Augustinus, et Ambrosius, super hoc contraria sentiunt? Solutio. Alia est donatio gratuita, de qua Augustinus ; alia na-

(31) Non solum comparatio claudicat, verum etiam vilior est et quasi impia. EDIT. PATROL.

turalis, de qua loquitur beatus Ambrosius. Datum A putet sufficere hoc ad salutem, scilicet credere, et est homini, ut sit Deus per personalem unionem statim in sui conceptione : quando enim Deus factus est homo per dignationem, et homo factus est Deus per gratiam, non Deus adoptivus, sed Deus naturalis, Deus, æternus, Deus omnipotens. Deo autem genito datum est ab æterno esse Deum per naturam. Itaque nulla est in intelligentia contractas inter doctores veritatis.

QUÆSTIO XII. *Qui spiritui servimus Deo, etc. (Philipp. III).* Quæritur qua servitute. Nota quod servitus, quæ soli Deo debetur, dicitur latria; unde idololatra, qui Dei culturam exhibet idolis, et abominatio dicitur idololatria, et domus idolum, et sacrificium idolothyum. Sed servitus, B qua per charitatem jubemur servire invicem, Græce dulia dicitur : utraque vero servitus sermone Latino nuncupatur.

QUÆSTIO XIII. *Hebræus ex Hebræis, secundum legem Pharisæus.* Quæritur unde dicti sint Hebræi. Solutio. Hebræi dicuntur ab Heber, non ab Abraham, ut visum est beato Augustino aliquando, quod postea retractavit : quod inde patet, quia ipse Abraham est Hebræus in quodam loco dictus : quod non esset, sic hoc nomen ab ipso derivatum esset. Item Abraham interpretatur *pater multarum gentium*; Hebræi, *transeuntes*. Constat ergo verum esse quod Hebræi non ab Abraham dicti sunt, sed ab Heber : qui solus in divisione linguarum Hebraicam retinuit lin- C guam.

QUÆSTIO XIV. *Secundum justitiam, quæ in lege est.* Quæritur quomodo dicat se conversatum secundum justitiam, quæ in lege est, sine querela, cum alibi dicat se cum aliis in desideriis carnis, dum esset in lege, ambulasse, unde et filium iræ se nominat ? Solutio. Utrumque verum est, et quod secundum desideria carnis ambulavit, et tamen secundum justitiam, quæ in lege erat, quæ timore pœnæ, non amore servire facit; quæ manum, non animum comprimit, conversatus sit sine querela : talis erat justitia in lege.

QUÆSTIO XV. *Non habens justitiam meam, etc.* Nonne Deus legem dedit, et ei obedire præcepit ? D quomodo ergo justitiam, quæ est ex lege, dicit suam ? Solutio hujus quæstionis in superioribus continetur. Dum enim erat in lege quærens ex operibus legis justificari : in hoc quod credebatur propriis viribus posse adimplere ipsam legem, justitiam legis suam faciebat.

QUÆSTIO XVI. *In fide ad cognoscendum, etc.* Hoc de fide non habente tempus operandi intelligitur, sed diligere nonne est opus fidei ? Sed fides sine dilectione, postquam aliquis est adultus, nunquam valet. Quomodo ergo dicit expositor quod hoc debet intelligi de fide non habente tempus operandi, quod ipsa valeat ad Deum cognoscendum et ad alia ? Solutio. Hoc ideo dicitur, ne quis

putet sufficere hoc ad salutem, scilicet credere, et habere fidem sine operibus, cum habet bene operandi facultatem.

QUÆSTIO XVII. *Quorum nomina sunt scripta, etc.* Quæritur quid sit liber vitæ. Solutio. Liber vitæ est prædestinatio Dei, in qua omnes salvandi scripti sunt, vel saltem per solam prædestinationem, vel etiam per justitiam et prædestinationem.

QUÆSTIO XVIII. *Gaudete in Domino semper (Philipp. IV), etc.* Dicit expositor quod gaudium in sæculo, et gaudium in Deo contraria sunt, nec in eodem simul esse possunt. Sed nonne aliquis est qui divisus est, et partim gaudet in sæculo, et partim in Domino, sicut partim diligit mundum, et partim diligit Deum ? Solutio. Illo gaudio dicitur quilibet gaudere, quod in illo cognoscitur præponderare, et illam partem hominis interioris quam occupat gaudium mundi, non tenet gaudium quod est in Domino, quia non possunt esse in eodem circa idem.

QUÆSTIO XIX. *Petitiones vestre innotescant apud Deum, etc.* Nonne Deus omnia plene et perfecte novit antequam eveniant ? quomodo ergo dicit Apostolus. Ut petitiones innotescant apud Deum ? Solutio. Sensus est ; Petitiones vestre adeo sint vehementes et non tepidæ, ut dignæ sint exaudiri et impleri. Cum enim adimplentur, nobis innotescunt, quod ad Deum perveniunt.

QUÆSTIO XX. Dicit expositor quod angeli offerunt orationes nostras Deo : ideo quæritur qualiter hæc oblatio sit intelligenda. Solutio. Salva reverentia secretorum, dicimus quod ab angelis nostras orationes Deo offerri, nihil aliud est quam per eos dignas fieri, ut a Deo exaudiantur. Item angeli medii sunt inter nos et Deum : sicut enim divina secreta nobis annuntiant, sic ea, quæ apud nos hic aguntur, Deo nuntiare dicuntur.

QUÆSTIO XXI. Sed cum Deo sua perfectio ad omnia cognoscenda sufficiat, quæritur ad quid angeli ei aliquid nuntiant ? Solutio. Non ut eum doceant, sed ut æternam et incommutabilem veritatem ejus consulant, et ut sciant quid sibi sit faciendum, quid, et quibus et quando sit annuntian- dum.

QUÆSTIO XXII. *Non quæro datum, sed fructum, etc.* Quæritur quid distet inter datum et fructum. Solutio. Datum vocat id quod datur, ut cibus, nummus, vestis. Fructus vero intentio datoris : quæ ideo dicitur fructus, quia secundum eam opus judicatur utile et fructiferum. Vel fructum vocat mercedem ipsam. Unde opus bonum dicitur flos, ex quo fructus æternæ vitæ nascitur. Nota quod per corvum, qui pavit Eliam, intelligitur donum, ubi opus bonum fuit sine intentione bona. Per viduam, quæ eundem prophetam pavit, intelligitur fructus ; ubi fuit bonum opus eum intentione bona.

VII

IN EPISTOLAM AD COLOSSENSIS.

(*Coloss. 1*) *Paulus apostolus*, etc. Hanc epistolam scribit Apostolus ad Colossenses, qui sunt Asiani : quibus non ipse Apostolus prædicavit, sed ejus discipuli, scilicet Archippus et Epaphras. Sed Archippus ministerium in eos acceperat; Epaphras vero ex eis oriundus fuit, et ab Apostolo instructus doctrinam Archippi confirmavit. Postea vero pseudoapostolis supervenientibus, et carnales observantias prædicantibus, in dubium illis venerat quibus esset credendum. Unde Apostolus, cujus auctoritas celebris erat, quasi medius judicat, quæ pars potius sit tenenda, scribens eis ab Epheso. Intentio itaque Apostoli est in hac epistola confirmare Colossenses in ea fide et doctrina, quam a discipulis ejus acceperunt, et non in aliquo præter Christum spem ponendam esse docet. Modus tractandi talis est : more solito salutem præmittit; deinde gratias agit de bonis eorum, fidem et dilectionem eorum commendans. Orat ut perficiantur in Christo, cujus beneficia; et secundum utramque naturam primatum commendat, et post ministerii sui dignitatem commemorat, et monet ne per philosophiam, vel legis cæremonias seducti a Christo recedant. Tandem omnes simul, et separatim, scilicet sexus, et ætates, et conditiones moraliter instituit. In fine monet Archippum sollicitum esse ministerii sui.

QUÆSTIO I. *Gratias agentes*, etc. Dicit expositor quod hic incipit Apostolus ostendere quod lex non prodest, sed nocet. Nonne lex bona, et a Deo data, et non solum non nocuit, sed profuit in statu suo? quomodo ergo verum est quod non prodest, sed nocet? Solutio. Verum est quod lex ante gratiam profuit; sed post gratiam inutilis fuit. Cui solutioni sic objicitur : Nonne lex modo perhibet testimonium veritati, et per illam illuminamur in cognitione Deitatis? ergo etiam nunc tempore gratiæ nobis prodest lex. Quomodo ergo verum est : Lex non prodest, sed nocet? Solutio. Lex lecta, et spiritualiter intellecta prodest, et non nocet : secundum vero litteram observata non prodest, sed nocet.

QUÆSTIO II. *Qui dignos fecit in partem sortis sanctorum*. Quæritur quid vocet sortem, cujus participes facti sumus. Solutio. Futuram hæreditatem, quæ sorte, id est divina gratia et voluntate, sine meritis, datur, hic vocat Apostolus sortem.

QUÆSTIO III. Item quæritur quomodo sine meritis futura hæreditas detur sanctis, cum per fidem, et dilectionem, et bona opera eam mereantur. So-

lutio. Sine meritis præcedentibus fidem intelligendum est, non sine subsequentibus : quæ sunt ex gratia, et ideo non excludentur, cum dicitur quod sola gratia datur futura gloria. De his jam diximus superius.

QUÆSTIO IV. *Transtulit nos in regnum Filii*. Quæritur quid dicat *regnum Filii Dei*. Solutio. Regnum cælorum, vel Filii, pluribus modis accipitur, scilicet pro futura gloria, ut ibi : *Adveniat regnum tuum* (*Matth. vi*); vel pro præsentis Ecclesie, ut ibi : *Cum tradet regnum Deo et Patri* (*I Cor. xv*); vel pro fide Christi, ut ibi : *Regnum Dei intra vos est* (*Matth. xii*); vel pro sacra Scriptura, ut ibi : *Auferetur a vobis regnum cælorum, et dabitur genti facienti fructum* (*Matth. xxi*).

QUÆSTIO V. *Filii dilectionis suæ* Nonne Spiritus sanctus est dilectio, qua Pater diligit Filium, et Filius Patrem, et Christus est filius dilectionis? Videtur ergo, quod sit filius Spiritus sancti : quod fides non recipit. Solutio. Dilectio communiter accipitur pro divina natura, sive substantia, sive essentia, cum dilectionis filius esse prædicatur. Est enim Filius nature, substantiæ, et essentiæ Patri consubstantialis, et coessentialis. Quid autem dilectio significet, cum dicitur : Spiritus sanctus est dilectio, qua Pater diligit Filium, et e diverso alibi expositum est. De redemptione item, et imagine, et de eo quod Christus dicitur caput Ecclesiæ, jam dictum : nec oportet, ut acta agamus.

QUÆSTIO VI. Quæritur autem an Christus secundum humanitatem fuerit caput sanctorum incarnationem præcedentium. Videtur quod sic : sed qui nondum secundum humanitatem erat, quomodo potuit esse caput eorum? Vel si, quomodo potuerunt habere, quod nondum caput erat? Solutio. Christus etiam secundum humanitatem potest dici caput eorum qui fuerunt ab Abel, quia per fidem futuri omnes salvati quotquot salvati sunt. Nota quod Christus ejusdem nature esse cum Patre prædicatur, ubi filius dilectionis esse ostenditur. Ubi vero imago, non solum ejusdem substantiæ identitas, sed etiam personalis proprietas insinuat. Ubi primogenitus omnis creature esse dicitur, ibi Patri coæternus asseritur. Ubi quod omnia per ipsum condita sunt legitur, omnipotentia ipsius declaratur. Ubi dicitur quod *omnia in ipso constant* (*Coloss. 1*), immensitas ejus manifestatur, cujus æternitas in Joanne insinuat, ubi scriptum est : *In principio erat Verbum* (*Joan. 1*); et personalis proprietas cum subjungitur : *Et Verbum erat apud Deum* (*ibid.*); et substantiæ identi-

tas, cum dicitur : *Et Deus erat Verbum* (Joan. i). Est itaque Filius Patri coæternus, consubstantialis, omnipotens : alius in persona, idem cum Patre omnium creaturarum principium.

QUÆSTIO VII. *Et ipse, Christus scilicet, est caput Ecclesiæ.* Dicitur quod Ecclesia cœpit primo ab Abel, qui primus fuit justus, sed nonne Adam fuit justus ? Creditur enim quod post lapsum per penitentiam, et fidem sit justificatus : quare ergo non dicitur Ecclesia incœpisse ab Adam ? Solutio. Ab Adam maculam originalis peccati contraxit Ecclesia, ab Abel nullam, et ideo ab Abel melius incœpisse dicitur quam ab Adam ; quia Scriptura de peccato Adam, et non de justitia facit mentionem, et de justitia Abel, et non de peccato. Christus ergo semper caput omnium, qui fuerunt ab initio, sicut eorum, qui secuti sunt eum : per quem solum accessum habemus ad Patrem.

QUÆSTIO VIII. *Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam, et inanem fallaciam* (Coloss. ii), etc. Nonne cognitio rerum naturalium, quam tradiderunt philosophi, utilis fuit ad Dei invisibilia cognoscenda ? Per visibiles enim rerum visibilium formas, quarum doctrina docetur in mathematica, venit ad invisibiles rerum visibilium causas, quas docet physica : per quas venit ad cognoscendas invisibiles substantias, et invisibilium substantiarum invisibiles naturas. Quomodo ergo Apostolus talem cognitionem vocat inanem fallaciam ? Solutio. Apostolus non reprehendit philosophos de hoc, quod naturas rerum inquirebant ; sed de hoc, quod potentiam Dei cum sit infinita, sub causis naturalibus coarctare conabantur, dicentes Deum nihil facere contra naturam. Unde Deum creaturam fieri, virginem parere, mortuum revivere, dicebant esse impossibile. Hunc ergo errorem eorum jure reprehendit Apostolus : non veram, quam habebant, de naturis cognitionem.

QUÆSTIO IX. *In quo habitat omnis plenitudo divinitatis.* Cum una et simplex plenitudo divinitatis sit, quomodo dicat omnis plenitudo divinitatis, cum omnis soleat colligere multitudinem ? Solutio. Omnis plenitudo divinitatis dicitur, ut notetur : quod omni modo inhabitandi ibi est, etiam personaliter. Vel aliter : Omnis plenitudo dicitur ut insinuetur quod in ipso est plenitudo non solum scientiæ, sed etiam potentiæ et bonitatis. In quo destruitur error eorum qui dicunt quod homo assumptus habet omnem scientiam per gratiam, quam habet Verbum per naturam, sed non omnem potentiam.

QUÆSTIO X. *Plenitudo divinitatis corporaliter.* Cum divinitas sit incorporea, quæritur quomodo possit habitare corporaliter in Christo. Solutio. Corporaliter dicit, id est, complete, solide et veraciter, respiciens ad legales figuras, quæ fuerunt umbra futurorum, quarum corpus, id est, impletio et veritas est Christus. Vel aliter : Corporaliter non significat naturam rei existentis, sed potius

A modum existentiæ. Sicut enim corpus sic habet esse naturaliter in uno loco, quod simul non potest esse in alio : sic plenitudo divinitatis habet esse in homine assumpto : quo modo in nulla alia est creatura. In omni creatura est per essentiam, in justis per gratiam, in solo Christo secundum personalem proprietatem. Hoc est ergo Deitatem habitare in Christo corporaliter, id est personaliter. Sicut corpus est in pluribus locis, simul non corporaliter sed spiritualiter. Hoc dicens non nego veritatem, et essentiam corporis Dominici esse simul in pluribus altaribus, sed per hoc insinuo quod modum illum existendi non habet communem corporibus aliis, vel ex natura corporis, sed potius communem cum spiritu, non creato, sed increato. Utrumque mirum, et verum ; quod spiritus creatus alibi est corporaliter, et corpus Christi sacramentale in pluribus locis spiritualiter.

QUÆSTIO XI. *Delens chirographum decreti, quod erat contrarium vobis, etc.* Quæritur quid vocet decretum, quid chirographum. Solutio. Decretum nominat vel ipsam legem Moysi, vel Dei præceptum, quod primo homini dedit in paradiso, dicens : *De ligno scientiæ boni et mali ne comedas* (Gen. ii) ; chirographum utriusque decreti violati memoriam : omnium autem culparum chirographa deleta sunt fuso sanguine sine culpa.

QUÆSTIO XII. *Quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi.* Quæritur quomodo distinguatur umbra, corpus, spiritus. Solutio. Aliud est umbra, aliud corpus, aliud spiritus : quæ tria aliis nominibus dicuntur figura, res, veritas, ut idem sit umbra et figura ; idem corpus et res ; idem spiritus et veritas. Legales cæremoniæ umbra, et figura futurorum dicebantur. Sacramenta gratiæ corpus, sive res illarum umbrarum vel figurarum sunt : spiritus vel veritas dicitur gratia spiritalis scilicet quam conferunt sacramenta Novi Testamenti, et significant : sacramenta vero Veteris Testamenti, tantum gratiam spiritualem significant, et non conferunt : et hæc differentia inter hæc et illa sacramenta. Item sciendum est quod illa, quæ tempore legis fuerunt præcepta, nunc tempore gratiæ non sunt præcepta ; sed tantum veritatis testimonia, unde tunc peccatum erat non observare etiam unum. Nunc autem non est peccatum ea non custodire ; imo qui custodit, offendit.

QUÆSTIO XIII. *Mortificate membra vestra* (Coloss. iii), etc. Quæritur quid, vel quæ vocet membra, quæ sunt mortificanda. Nunquid oculus, manus, pes sunt mortificandi ? Solutio. Membra hic vocat Apostolus concupiscentiam membrorum, sicut ipse subjungit, et exponit *fornicationem, etc.*

QUÆSTIO XIV. *Avaritiam, quæ est idolorum servitus, etc.* Nonne aliud est avaritia, aliud idololatria ? quomodo ergo avaritiam vocat idolorum servitutum ? Solutio. Ideo avaritiam comparat idololatriæ, quia non est dispar malitia. Sicut enim idololatra colit truncum, sic avarus nummum. Et sicut idololatra nititur auferre Deo honorem suum, sic avarus res

quas Deus communiter pro omnibus creavit sibi, A invenitur : quæ alia est ab illa, de qua superius usurpat soli.

QUÆSTIO XV. *Expoliantes veterem hominem, etc.* Quæritur quid hic vocet veterem hominem. Solutio. Dicitur quandoque vetus homo Adam primus homo, qui peccando se, et totam posteritatem suam induit tunica vetustatis. Dicitur quandoque vetus homo, quilibet homo, qui portat imaginem terreni; quandoque vero dicitur vetus homo ipsa vetustas, quæ consistit in culpa et in pœna; quandoque vetus homo habitus vitiorum nuncupatur, ut hic, secundum expositorem.

QUÆSTIO XVI. *Et induite novum hominem.* Quæritur similiter quid hic vocet novum hominem? Nam novus homo quandoque dicitur Christus, a quo est omnis novitas; quandoque novus homo dicitur B quilibet in Christo renovatus; quandoque etiam habitus virtutum; quandoque specialiter mens rationis. Sed superius, quod homo interior vocatur, mens, dictum est; hic autem dicitur quod mens interior dicitur novus homo: quod videtur esse contrarium, cum aliud sit novus homo: aliud interior, ut jam ostensum est. Solutio. Dicit expositior quod novum hominem vocat rationalem mentem, nec est contrarium ad id quod superius dictum est, quod mens interior homo dicitur: idem enim propter diversas proprietates diversa sortitur vocabula.

QUÆSTIO XVII. *Qui renovatur in agnitionem Dei secundum imaginem ejus, etc.* Item quæritur quomodo mens dicatur renovari secundum imaginem C Dei, cum ipsa sit imago Dei, nunquid renovari potest secundum seipsam? Solutio. Eadem est imago, quæ renovatur, et illa secundum quam renovatur, sicut dicimus aliquem mortuum esse secundum corpus, id est corpore non secundum spiritum. Mens itaque secundum semetipsam, id est in semetipsa renovatur. In Epistola tamen ad Ephesios dicitur, quod ipsa renovatio fit secundum Deum: ideo secundum Deum, ne secundum creaturam esse dicatur. Per talem enim renovationem Deo consimilis et conformis efficitur: ideo secundum ipsam esse dicitur. Nota quod hæc imago, quæ in cognitione Dei renovatur, æque in viro et in femina

invenitur: quæ alia est ab illa, de qua superius dictum est: *Vir est imago Dei, et mulier viri.*

QUÆSTIO XVIII. *Donantes vobis metipsis, si quis adversus aliquem habet querelam.* Hoc idem præcepit Dominus, dicens: *Debitoribus vestris dimitte (Matth. vi),* sed quid est quod a nobis dimitti possit? quod est debitum, quod a nobis possit exigi ab illo, qui nobis injuriam intulit? Solutio. Hoc est dimittere injuriam illatam, pro nobis nullo modo satisfactionem propter injuriam postulare: quædam alia super hoc alibi a nobis dicta sunt.

QUÆSTIO XIX. Dicit expositor quod qui ab illicitis abstinet laudem habet; qui vero a licitis temperat, laudem et præmium quasi diceret: Ille vitat pœnam, hic etiam meretur coronam. Sed nonne etiam ille, qui abstinet ab illicitis, non solum laudem, sed etiam mercedem habet? Solutio. Qui abstinet ab illicitis semper vitat pœnam, sed non semper meretur coronam, nisi tunc tantum, quando tentatur et impugnatur.

QUÆSTIO XX. *Omnia in nomine Domini facite.* Per omnia, non intelligit nisi bona, quæ sunt a nobis facienda. Unde quæritur an omnia facienda præcipiat propter Deum fieri. Nunquid ex præceptis constringor dare pallium meum pauperi, quem indigere video, et sciam hoc Deo placere. Nam si dimitto, videor contemnere: quod scio illum velle fieri. Solutio. Sic debet intelligi: Omnia facite in nomine Domini, id est nihil contra Deum faciatis, et in bonis non gloriam vestram, sed Dei quærat. Non tamen in omnibus quæ agimus meremur; quia quædam sunt indifferentia, ut sedere, stare, spiritum ducere, manum claudere, oculos aperire, et hujusmodi. Quædam vero talia sunt, quæ sic habent meritum, si fiant; et non sint peccatum, si non fiant, ut pallium dare pauperi, et omnia vendere, et dare pauperibus: quod perfectorum est, qui nudi Christum sequuntur.

QUÆSTIO XXI. *Dicite Archippo: Vide ministerium quod accipisti in Domino, ut illud impleas (Coloss. iv).* Quæritur an subditi prælatos monere possint. Solutio. Ecce auctoritas, ut subditi prælatos moneant, ne pigri sint in prævidendis his, quæ ad salutem spectant.

VIII.

IN EPISTOLAM I AD THESSALONICENSES.

(I Thess. I.) *Paulus et Silvanus, etc.* Hanc epistolam scribit Apostolus Thessalonicensibus. Thessalonica metropolis est Macedoniæ, quæ est provincia Græcorum. Thessalonicenses ergo sunt Macedones, sive Græci, qui ab Apostolo conversi, et nec per tribulationes, nec per pseudoprædicatores potuerunt moveri a fidei veritate. Hos collaudat Apostolus,

PATROL. CLXXV.

quia tantæ fidei imbiberant spiritum, ut spe etiam futurorum a civibus suis non credentibus pericula devoto animo pro nomine Christi sustinerent. Erant tamen aliqui inter eos otiosi, et curiosi; aliqui etiam minus recte de resurrectione sentientes, et ideo nimis de amicorum morte tenere dolentes. Hos ergo corrigit Apostolus in hac epistola, et monet perfe-

19

ctos non cedere adversis, et pseudoapostolis, et ut alios corrigant. Scripsit autem ab Athenis. Et est intentio Apostoli in hac Epistola pravos et incorrectos corrigere, et bonos ad perseverentiam, aliorumque correctionem cohortari. Modus talis, more suo salutem præmittit: qua præmissa de bonis eorum gratias agit, commemorans non fidem et opera, sed etiam conversionis modum et malorum sustinentiam ut ad perseverandum provocet; de suis quoque laboribus, et Evangelii veritate, et prudenti inter eos conversatione, et quanto affectu desideret eos videre interserit. Deinde pravos, ut a luxuria, et otio, et curiositate contineant, obsecrat, et mortuos resurrecturos confirmat. Circa finem est moralis instructio. Dicit itaque Paulus et Sylvanus, etc. Timotheus, etc. Nota quod mos erat Apostoli eos in salutatione sibi adjungere, qui secum apud illos vel fuerant, vel futuri erant.

QUÆSTIO I. *De vivo et vero, etc.* Quæritur quare dicat, vero. Solutio. Unus est naturaliter Deus; multi participatione: ad quorum differentiam dicitur verus Deus, utpote si ex se non aliunde Deus est. Alii enim non ex eo quod sunt, dii sunt, sed ex eo quod acceperunt.

QUÆSTIO II. *Pervenit enim ira Dei super illos. (I Thess. II).* Quæritur quomodo propter peccata sua ira Dei, et pœna super eos pervenerit, id est ante mortem. Nunquid pœna æterna allevatur per pœnam temporalem? si enim non allevatur, videtur Deus immisericors, qui hic punit, et ibi. Item, si allevatur æterna per temporalem? videtur quod talis pœna non procedat ex ira Dei, sed ex misericordia; et ideo non ira, sed misericordia dicenda. Solutio. Magna quidem Dei misericordia est per pœnam temporalem vocare ad pœnitentiam; sed ipsi nolentes pœnitere, Dei misericordiam vertunt sibi in iram, et pœna inflictæ, quæ potuit esse salutis medium, fit illis æternæ pœnæ initium.

QUÆSTIO III. *Festinamus videre faciem vestram cum multo desiderio, etc.* Dicit expositor in quo mala eis fierent; sed quæritur quomodo ex præsentia Doctoris fierent mala discipulis: cum potius bona quam mala ex ea fieri videantur: unde ipse desiderabat videre eos propter utilitatem præsentis suæ, scilicet ut eos confirmaret, et ea quæ deerant, superadderet. Solutio. Major corona, et laudabilior victoria, si starent immobiles, absente magistro: tamen Apostolus humane timuit ne caderent, et ideo ad eos venire desiderabat.

QUÆSTIO IV. *In adventu ejus, scilicet Domini.* Quæritur in quo adventu. Solutio. Triplex est adventus Domini, unus in carnem, unus in spiritu, unus in carne. In carnem venit factus homo. In spiritu venit quando Spiritum suum spiritui nostro infudit ipsum sanans et justificans. In carne veniet in iudicio. Occulte etiam venit unicuique in morte, vel ut eos purget, vel ut januam regni aperiat: ut eos puniat.

QUÆSTIO V. *Ut non contristemini sicut cæteri,*

qui spem non habent. (I Thess. IV). Quæritur an contristari et flere pro morte amicorum sit peccatum, cum Apostolus dicat: Ut non contristemini? Solutio. Necesse est ut cum mors occupat dilectum, ut contristet dilectionis affectum; non ergo culpa, si contristemur necessitate amittendi; si consolamur spe recipiendi: unde Apostolus non dicit simpliciter, ut non contristemini sed ait, ut non contristemini sicut cæteri, qui spem non habent, quasi diceret: Licet contristari, sed cum spe.

QUÆSTIO VI. Quæritur quomodo Dominus flebat Lazarum mortuum continuo, eo jubente, victurum? Solutio. Non mortuum, sed mortem, quam non meruit peccando, deflebat: ad quam Lazarus, et miseras mundi iterum erat revocandus: et inde Dominus est motus.

QUÆSTIO VII. Quæritur an orationes, eleemosynæ, sacrificia altaris, omnibus prosint, pro quibus fiunt. Solutio. His solum prosunt prædicta post mortem, qui ita vixerunt ante mortem ut digni sint, ut hæc utilia sint eis post mortem: his enim, qui sine fide per dilectionem operantem ab hac vita exierunt, non prosunt; quia hic viventes salutis pignore caruerunt, scilicet ad salutem.

QUÆSTIO VIII. Cum Christus omnia possit, quæritur cur fidelibus suis non donaverit statim immortalitatem, ut omnino mortem nunquam experirentur. Solutio. Si hoc fieret, carni quidem daretur quædam felicitas, sed fidei minueretur fortitudo. Nemo tunc ad Christi gratiam propter futuram vitam festinaret; sed tamen propter mortis molestiam fugiendam, et sic quodammodo delicate crederetur in Christum. Ubi igitur tunc esset gloriosus triumphus martyrum?

QUÆSTIO IX. *Et eos qui dormierunt.* Quæritur, cum Christum, qui jam vivit, dicat mortuum, cur fideles mortuos non mortuos sed dormientes appellat? Solutio. Ideo dicit Christum mortuum, et surrexisse, ut, dum hoc audimus, idem speremus, scilicet nos resurrecturos per virtutem Deitatis. Electos vero ideo dicit dormientes; quia nemo tam facile potest excitari a somno, quam facile eos omnes excitabit Deus a somno mortis.

QUÆSTIO X. *In voce archangeli, etc.* De hac voce quæritur, an materialis erit. Solutio. Dicunt quidam quod materialis erit ministerio angelorum formata, sicut illa materialis fuit, quæ audita est baptizato Domino, quæ ideo dicitur Dei; quia efficaciam ei dabit Deus, ut per illam mortui resurgant. Alii dicunt, quod aliquod evidens signum erit. De incerto ambigua solutio. Omnia enim futura in novissimo, nobis incerta.

QUÆSTIO XI. *Deinde nos, qui vivimus.* Quæritur quomodo dicat Apostolus, quod illi *primi resurgent, qui jam dudum mortui fuerunt*, et deinde illi, qui tunc vivi inventi fuerint, cum ipse alibi dicat; quod resurrectio erit *in ictu oculi et in momento (I Cor. XV)*; ubi nec prius, nec posterius sit aliquid, sed omnia simul? Solutio. Potest dici, quod ideo simul

fieri dicitur mortuorum resurrectio, quia parva A mora erit.

QUÆSTIO XII. Quæri autem solet utrum illi, quos vivos inveniet Christus, sint morituri, an sine morte ad immortalitatem transituri? Solutio. De hoc nihil certum habemus; videtur tamen quibusdam, quod in ipso raptu moriantur, et reviviscant, cum alibi dicat Apostolus: *in Christo omnes vivificabuntur* (I Cor. xv), et alibi: *quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur* (ibid.). Nec incredibile hoc videri debet, cum in momento, et in ictu oculi, communis et generalis resurrectio futura esse credatur.

QUÆSTIO XIII. *Rapiemur obviam Christo in aera*, Quæritur an id de omnibus dicatur? Solutio. Boni quasi leves Christo occurrent in aera; mali vero B quasi ponderosi non obviam in aera Christo, sed terræ, quam semper amaverunt, adhærebunt. Nota quatuor esse genera eorum, quid ad iudicium venient; quidam enim venient, ut iudicent tantum, ut valde boni, non ut iudicentur, de quorum salute constat. Alii sunt minus perfecti, de quorum salute nundum constat; hi venient ad iudicium, ut iudicentur. Sic malorum duo sunt genera; alii venient ad iudicium, ut iudicentur, ut minus mali de quorum damnatione non constat. Alii vero, non iudi-

centur; quia jam iudicati sunt, quia de eorum damnatione jam certum est. Quare ergo venient? nunquid ut iudicent? absit! Quare ergo? ut audiant cum diabolo. *Ite, maledicti in ignem æternum* (Matth. xxv), etc. De modo iudicii jam dictum est in prima epistola ad Corinthios; quomodo scilicet sancti iudicaturi, an sola comparatione, an etiam potestate.

QUÆSTIO XIV. *Dies Domini sicut fur in nocte interveniet* (I Thess. v), etc. Cum nemo sciat, an die, an nocte Dominus venturus sit ad iudicium, quæritur quomodo Apostolus tempus adventus Domini vocet diem. Solutio. Dies in tali loco non ponitur pro illuminatione aeris sicut alibi; sed pro revelatione, id est manifestatione, quia tunc omnia manifestata erunt. Sciet enim unusquisque, quare se, vel alium Dominus salvet vel damnet.

QUÆSTIO XV. *Sine intermissione orare*. Quæritur quomodo hoc præceptum Apostoli impleri possit. Quis enim potest semper orare? Nonne oportet quandoque dormire? Solutio. Sic intelligitur: Sine intermissione certarum horarum. Vel per orationem intelligitur sanctum desiderium, et pius affectus et sic justus nunquam desinit orare, nisi desinat justus esse; qui enim semper bene agit, semper bene orat.

IX

IN EPISTOLAM II AD THESSALONICENSES.

Paulus, et Silvanus (II Thess. i), etc. Hanc Epistolam scribit Apostolus Thessalonicensibus. Orta enim apud eos graviore tribulatione monet eos ad patientiam, ostendens justum Dei iudicium, ut boni gloriam consequantur, mali pœnam. Et quia in prima epistola quædam dicit de adventu Domini et de resurrectione mortuorum, unde putabatur dies Domini instare; nunc alteram scribit epistolam, in qua significat, licet obscure (nec enim aperte potest), de abolitione regni Romani, de Antichristi apparentia, et damnatione, et de quorundam fratrum inquietudine. Scribit etiam non instare diem Domini sicut occasione prioris Epistolæ quibusdam videtur. Est itaque intentio Apostoli in hac epistola, bonos et quietos ad patientiam movere, et inquietos corrigere; et quæ obscure dixerat in priori epistola, hic aliquatenus aperire. Modus talis, primo salutatur, deinde gratias agit de bonis eorum; postea monet ad patientiam, et ad constantiam; inde asserit, quod adventum Christi præveniet Antichristus, et aliqua adventus Antichristi signa licet obscure denuntiat, agens de abolitione Romani regni et de interfectione Antichristi. Circa finem vero, ut curiosos atque otiosos corripiant, obsecrat.

QUÆSTIO I. *In flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum*. Quæritur, an Dominus in

A igne circumdatus venturus sit ad iudicium? Solutio. In flamma ignis dicitur venturus, quia terribilis impiis apparebit, ut eos exurat atque cruciet. Ignis quidem ejus adventum præcedet, quo elementa solventur, ut renoventur.

QUÆSTIO II. Quæritur quomodo vivi reservabuntur illi, quos vivos inveniet Dominus. Solutio. Sicut tres pueros in camino fornacis, ignis non læsit; sic ille ignis præcedens adventum iudicis bonos non lædet.

QUÆSTIO III. Quæritur quas pœnas animæ impiorum nunc patiuntur apud inferos, an materiales, an tantum conscientie tortiones? Solutio. Creditur, quod pœnas materiales, ut ignem et frigus patiantur. Unde dicitur: *Transibunt de aquis nivium ad calorem nimium* (Job. xxiv).

QUÆSTIO IV. Item quæritur quomodo his pœnis torquentur, cum res spirituales a corporeis contingi nequeant. Solutio. Fieri potest ut per ea puniantur, a quibus non continguntur, velut quis horrorem magnum ex aliquando viso vel imaginato contrahit, etsi ab illo non contingatur.

QUÆSTIO V. Item resumptis corporibus, cum illa deinceps immortalia futura sint, quomodo in illis punientur, eum dissolvi nequeant? Solutio. Erunt quidem corpora malorum immortalia, sed passibi-

lia, id est talia in quibus mali patiantur, sine tamen læsione naturalis quantitatis, vel essentiæ ipsorum corporum.

QUÆSTIO VI. *Nisi venerit discessio primum* (II Thess. II), Quæritur : quomodo quod dicit de discessione fiet? Solutio. Hoc quatuor modis potest intelligi, vel de terreno Romano imperio vel de spirituali imperio Romanæ Ecclesiæ, vel de fide, vel de Antichristo. Cum alia translatio dicit Refuga. Nota quod legitur quod Antichristus nascetur in Babylone de tribu Dan. Juxta quod Jacob ait : *Fiat Dan coluber in via, et cerastes in semita* (Gen. XLIX). Qui cum primum se manifestabit veniet Hierosolymam, et circumcidet, se dicens : Ego sum Christus Judæis promissus.

QUÆSTIO VII. *Qui extollitur super omne, quod dicitur Deus, ut dii gentium vel sancti ; aut quod colitur, ut Deus Trinitas.* Sed quæritur quomodo poterit se extollere super Deum trinitatem? Nonne hæc erit maxima ejus superbia et extollentia quod dicet se Christum esse, et ita Deo æqualem, non enim majorem se dicet ; quomodo ergo extollitur per omne quod colitur Deus? Solutio. Ut mihi videtur in hoc intelligitur hæc extollentia, quod ille iniquus, *homo peccati, filius perditionis*, venerationem et culturam soli Deo Trinitati debitam, faciet sibi exhiberi et non Deo. Legitur quod sicut in Christo habitavit plenitudo divinitatis, ita in Antichristo plenitudo malitiæ, et omnis iniquitatis, et, ut ita dicam, plenitudo diabolitatis erit.

QUÆSTIO VIII. Unde potest quæri an erit homo simpliciter, an diabolus personaliter eum assumet, ut Deus hominem. Solutio. Non potest diabolus sic hominem assumere, ut sibi personaliter unitus sit; erit ergo purus homo, quem tamen diabolus sic possidebit, ut omni virtute nequitiae suæ, et omni iniquitate impleat, ut prorsus deditus illi et devotus nihil velit, nihil possit nisi quod diabolus vult et potest.

QUÆSTIO IX. *Mysterium jam operatur iniquitatis.* Dicit expositor, quod in Nerone et in aliis malis occulte operatur jam diabolus, qui in Antichristo aperte sæviet. Unde quæritur quomodo occulte operetur in Nerone. Nonne Nero Christum negavit, et aperte eos, qui Christum prædicabant, persecutus est? Solutio. Ideo dicitur in Nerone operari occulte ; quia hoc fecit Nero fraudulenta quorundam suggestionem. Vel, quod melius est, ideo dictus est diabolus operari occulte in Nerone, non quia manifesta esset illa persecutio, sed quia est umbra, et figura, et imago quædam illius, quæ fiet per Antichristum quæ multo gravior erit omnibus, quæ præcesserunt. Regnabit enim tribus annis, et dimidio ; et sedens in papilione in monte Oliveti interficietur virtute Spiritus sancti per Michaelem, ut ipsum Dominum vel alium angelum, ut dicunt doctores.

QUÆSTIO X. *Quem Dominus destruet illustratione adventus sui, etc.* Nonne Antichristus prius interfi-

cietur antequam Dominus veniat ad iudicium? Ex libro enim Danielis intelligitur, quod concedentur electis quadraginta duo dies ad pœnitentiam post mortem Antichristi. Quanto vero post venturus sit Dominus, penitus nescitur non solum ab hominibus, sed etiam ab angelis. Quomodo ergo dicit apostolus : Illustratione adventus sui (cum ante adventum sit interficiendus) destruet illum Dominus? Solutio. Interficietur quidem, ut creditur, ante adventum Domini Antichristus corporis, et animæ solutione ; Dominus tamen destruet illum jam resuscitatum cum toto corpore, illustratione adventus sui damnando, et in ignem æternum mittendo, dicens illi et aliis reprobis : *Ite, maledicti, in ignem æternum* (Matth. XXV).

QUÆSTIO XI. *Secundum operationem Satanæ, etc.* Dicit expositor, non tamen sine sensu, ut phrenetici, qui culpam non habent de malis quæ agunt. Unde potest quæri, si totum faciet Antichristus diabolo instigante et cooperante, et quodammodo compellente, quare ei imputetur potius quam phreneticis, vel si phrenetici hoc faciunt diabolo instigante, quare eis non imputatur. Et quomodo sunt sine culpa de malis quæ agunt, potius quam ille iniquus? Solutio. Phrenetici, qui sunt sine sensu magis dicendi sunt aliquid pati quam aliquid agere ; et mala fiunt potius per eos quam ab ipsis ; quoniam ipsi non sunt auctores, cum voluntatem ad hoc non applicent. Antichristus vero sic diabolo instigante omnia faciet, quod voluntatem suam omnem et sensum ad eundem applicabit ; et ideo ei omnia imputabuntur ad pœnam æternam.

QUÆSTIO XII. *Signis, et prodigiis mendacibus, etc.* Quæritur de signis illis, quæ per diabolum faciet Antichristus, an ideo dicta sint mendacia, quia non vera ut videntur, sed phantastica erunt ; id est quia mortales sensus per phantasmata decepturus est, vel ideo dicta sunt mendacia, quia Dei permissione ad mendacium trahent? Solutio. Videtur nobis verisimile esse, quod omnia signa illa, quæ diabolus poterit facere, et Antichristus faciet vere. Illa vero, quæ diabolus non habet in sua potestate, nec ille iniquus faciet vere, sed per solam magicam artem deludet oculos mortalium ut videatur facere, quæ vere non faciet. Unde Apostolus dicit : Cujus adventus erit in omni virtute, quantum ad ea, quæ vere faciet, et in omni seductione, quantum ad ea quæ non vere faciet. Omnia tamen valent ad seductionem impiorum. Quæ autem sunt illa, quæ diabolus poterit et quæ non potestati ejus subjacent, non est nostræ parvitatatis evolvere.

QUÆSTIO XIII. *Mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur, etc.* Quæritur autem de illis qui signis et prodigiis illius iniqui permoti credent ipsum esse bonum, et Dei Filium : an habeant aliquam excusationem? Si enim ei non divinum cultum exhibebunt, cum conscientia eorum dictet eis, ipsum tanquam Deum adorandum, ad mortem peccabunt, et ita videntur inexcusabiles

esse. Solutio. Apostolus dicit quia non receperunt claritatem veritatis, ut salvi fierent, id est Christum prius manifeste prædicatum, mittet illius Deus operationem erroris, ut credant mendacio et judicentur : ubi satis docet quod propter præcedentia peccata non habebunt excusationem, etsi arbitrentur se obsequium præstare Christo, id est vero Deo, credendo in Antichristum.

QUÆSTIO XIV. Dicit Augustinus quod posse habere fidem, vel charitatem, natura fidelium est: habere fidem, vel charitatem, gratia Dei. Unde potest quæri quomodo hoc debeat intelligi. Nonne quod naturale est, nobis in nostra facultate est? sed cum habere fidem, vel charitatem sine gratia non possumus, quomodo posse habere fidem, natura est fidelium? Solutio. Posse habere fidem, id est potentia habendi, naturalis est; sed hujus potentiae usum habere, solius gratiæ est, et non nature.

QUÆSTIO XV. *Qui non vult operari, non manducet*

(*II Thess. III*). Quæritur de quo opere hic agatur. Si enim de exteriori, quomodo præcipit ne manducet qui non vult operari? Multi enim digni sunt manducare, licet non operentur. Solutio. Augustinus dicit quod Apostolus vult servos Dei corporaliter operari, ut non compellantur egestate, necessaria petere; non tamen male agunt, qui opera exteriora pro spiritualibus postponunt cum habeant unde vivant, quia *Maria optimam partem elegit* (*Luc. X*). Illi vero, qui curiositati dediti operari nolunt, reprehenduntur; non qui minora bona pro majoribus deserunt.

QUÆSTIO XVI. *Si quis non obedierit verbo nostro per Epistolam, hunc notate, et non commisceamini cum illo, ut confundatur.* Dicit ita Apostolus, quod ille qui admonitioni Ecclesiæ resistit excommunicandus est. Unde quæri potest qualiter id faciendum est. Et certum quod magna discretione faciendum est, ne Ecclesia detrimentum incurrat, nec levi causa talis vindicta exercenda est.

X.

IN EPISTOLAM I AD TIMOTHEUM.

Paulus apostolus (I Tim. I), etc. Hanc Epistolam scribit Apostolus Timotheo, qui fuit filius cujusdam mulieris fidelis patre gentili procreatus: et cum non esset circumciscus, et ipse esset gentilis, et de eo darent bonum testimonium fratres, qui erant in Listris et Iconio, hunc voluit Paulus proficisci secum: et ideo eum circumcidi propter Judæos qui in locis illis erant. Eratque eruditus tam divinis Scripturis quam liberalibus artibus. Hunc Apostolus episcopum creavit: ideo eum, relictum in Asia instruit in hac Epistola de officio episcopali, scilicet quomodo pseudoapostolis resistat et quomodo Ecclesiam instruat, quales presbyteros vel diaconos ordinet; quales viduas honoret, et quomodo in Ecclesia se habeat, vel quomodo eam regat. Et est intentio Apostoli in hac Epistola instruere Timotheum de episcopalis dignitatis officio. Modus talis: primo salutatur eum; deinde monet ut pseudo resistat; postea instruit de episcopali officio, docens quales debeat ordinare presbyteros et diaconos. Deinde quales viduas recipere debeat; postea de modo correctionis instruit eum; in fine autem monet ut vitet profanas novitates.

QUÆSTIO I. *Dei patris Salvatoris nostri*, etc. Cum Filius frequenter dicatur in Scriptura Salvator, qui solus pro salute nostra mortuus est, non Pater, non Spiritus sanctus, quæritur cur Apostolus salutem nostram ad Deum Patrem referat, dicens hic: *Dei Patris Salvatoris nostri*. Solutio. Deus pater in hoc, quod dignatus est nobis Filium suum mittere, et Spiritum sanctum in sacramentis Novi Tes-

tamenti tribuere, auctor est salutis nostræ et ideo Salvator dicitur.

QUÆSTIO II. *Et Jesu Christi spei nostræ*. Item quæritur quare spem specialiter ad Filium referat, dicens, et Jesu Christi spei nostræ, cum in totam Trinitatem speremus et credamus. Solutio. Ideo spem nostram ad Christum, quia ipse a mortuis resurrexit, et ad cælos ascendit, referimus; quia per ejus resurrectionem speramus ad gloriam resurrectionis futuræ pertingere.

QUÆSTIO III. *Gratia, misericordia et pax*, etc. Quæritur cur præter solitum, Apostolus in hac salutatione tria ponat dicens, gratia, misericordia, et pax. Solutio. Novem præcedentes Epistolas scripsit communiter ad Ecclesias. Hanc autem specialiter Timotheo coepiscopo; ideo tria ponit. Per misericordiam idem intelligens, quod in aliis per gratiam scilicet remissionem peccatorum; per pacem tranquillitatem et prælibationem futuræ vitæ; per gratiam vero intelligit donationem Spiritus sancti, qua armantur ministri Christi.

QUÆSTIO IV. *Ut non intenderent fabulis*, etc. Quæritur quid hic per fabulas intelligat Apostolus? nunquid legis verba, et divina eloquia sic vocat in hoc loco? et alibi dicit: *Profanas et aniles fabulas devita* (*I Tim. IV*). Solutio. Fabulas hic dicit doctrinam illorum, qui legem cum gratia prædicant esse necessariam. Vel fabulas hic dicit traditiones, quas Judæi non scriptas tenent, et alter in alterum transfundit loquendo, quas deuterocanonos vocant: ubi dicunt, et credunt duas uxores Deum primo creasse, ex qui-

bus hominum texunt genealogias infinitas parientes inductuosas quæstiones. De quibus traditionibus a sacris Scripturis alienis, Dominus dicit in Evangelio: *Quare irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras?* (Matth. xv.)

QUÆSTIO V. *Finis autem præcepti est charitas, de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.* Hic definit Apostolus charitatem, ut dicit expositor. Unde potest quæri quæ sit definitio hic data, an hoc finis præcepti? an hoc de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta? Solutio. Definitio, charitatis est, esse de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.

QUÆSTIO VI. Item potest quæri an hæc definitio conveniat omni charitati. Quod si concedatur, nullus est habens charitatem, qui non sit perfectus, quia legem consummans et perficiens; quia charitas finis et præcepti, id est perfectio et consummatio. Si enim finis ponitur pro consummatione in hoc loco. Alibi autem ponitur pro consumptione, ut cum dicitur, panis finitur. Alibi pro termino, ut cum dicitur: Hic finitur ager. Item, quis potest habere cor purum et conscientiam bonam sine charitate? nonne cordis munditia, et bona conscientia procedit ex charitate? quomodo ergo charitas procedit de corde puro? Solutio. Videtur mihi quod hic definitio perfectæ et consummatæ charitatis assignatur, et ita non convenit hæc definitio imperfectæ charitati. Primum datur dilectio, quæ cor mundat, et ex qua bona opera fiunt, et ex quibus nascitur bona conscientia, tandem corde mundato, et bona conscientia comparata perficitur charitas et consummatur, quæ est finis præcepti. Hæc dico sine præiudicio melioris sententiæ.

QUÆSTIO VII. *Bona est lex, si quis ea legitime utatur.* Quæritur quid sit legitime uti? Solutio. Ut dicit expositor, ille utitur legitime lege, qui eam spiritualiter intelligens per eam cognoscit morbum, et quærit medicum, et qui sciteam ad tempus datam, et deserit eam propter Christum. Notandum quod injustus legitime utitur lege, cum intelligit quare data sit, et ejus timore fugit ad gratiam Christi, ut fiat justus. Justus autem legitime utitur lege, cum eam terrendo imponit injustis.

QUÆSTIO VIII. *Lex non est posita justo.* Nonne David et alii justii, qui sub lege erant, tenebantur legem custodire, quomodo ergo lex non est justo posita? Solutio. Lex non imponitur justo, ut ei dominetur, et eum timore coerceat, et justus non est sub lege, sed potius cum ipsa, tanquam legis amicus.

QUÆSTIO IX. *Quia ignorans feci, etc.* Dicit expositor quod istud, quia potest causam notare vel consecutionem. Sed quæritur quomodo ignorantia, quæ culpa est, possit esse causa divinæ misericordiæ. Solutio. Est quædam ignorantia ex infirmitate: ex qua si quis zelo bono agat contra Deum, ex affectu, quem habet, meretur ab illa ignorantia liberari.

A QUÆSTIO X. *Venit in hunc mundum peccatores salvos facere, etc.* Quæritur de parvulis, qui sunt nati ex parentibus baptizatis, an pertineant ad peccatores, propter quos salvandos venit Jesus in mundum. Hi enim peccatum actuale non habent, et originale quomodo contrahere possunt a parentibus, quod ipsi non habent; quia est eis dimissum. Solutio. Sciendum est quod originale peccatum sic dimittitur in baptismo, non ut omnino non sit, sed ut culpa non sit. Manet vero corruptionis vitium etiam in baptizatis, qui generant, non ex eo quo sunt renati, sed ex vetustate corruptionis, per quam transit culpa originalis in parvulos: unde et ipsi indigent remedio. Unde et ipse medicus ait: *Parvulos sinite venire ad me* (Marc. x).

B QUÆSTIO XI. *Quorum ego primus sum.* Nonne Cain et Saul priores Paulo fuerunt? quomodo ergo Paulus inter peccatores primus? Solutio. Primus erat Paulus non ordine temporis, sed magnitudine iniquitatis. Cui solutioni sic objicitur: Nonne Paulus peccavit per ignorantiam, et multi alii scienter? sed majus peccatum est peccare scienter quam per ignorantiam: non ergo Paulus primus erat inter peccatores magnitudine iniquitatis, cum alii, maxime illi, qui peccaverunt in Spiritum sanctum, multo peiores sint Paulo etiam secundum statum primum, in quo fuit blasphemus, persecutor, contumeliosus. Solutio. Paulus magnitudinem delictorum suorum considerans omnibus peccatoribus judicavit se pejorem, licet in oculis Dei aliter fuit.

C QUÆSTIO XII. *Regi autem sæculorum immortalis, invisibili, soli Deo, honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.* Dicit expositor quod homo assumptus a Verbo ex eo tempore rex est sæculorum, ex quo assumptus est a Verbo; sed si homo assumptus non est homo, nec Deus, nec persona, ut quidam ausi sunt profiteri, quomodo homo assumptus ex quo est assumptus, et non ante, rex est sæculorum? Nos autem dicimus quod homo assumptus a Verbo est homo et Deus: ipsum Verbum a quo assumptus est, et cœpit in tempore esse rex sæculorum, quando videlicet cœpit assumi a Verbo. Quando enim cœpit esse Deus homo, cœpit et homo esse Deus, sicut multæ auctoritates protestantur.

D QUÆSTIO XIII. *Qui omnes homines vult salvos fieri* (I Tim. ii). Cum Deus sit omnipotens, et divinæ voluntati nullus resistere possit, quomodo non omnes salvi fiunt, cum Deus omnes velit salvos fieri? Vel nunquid voluntas ejus est, ut reprobi salventur? Ambrosius sic solvit: Deus vult omnes salvos fieri, si ipsi velint. Sed nonne multi volunt salvi fieri, qui tamen non salvantur? quomodo ergo verum est, Deus vult omnes salvos fieri? Ideoque alii sic exponunt: Deus vult, etc., placeret ipsi, si omnes salvarentur, vel omnes, id est de omni genere hominum aliqui. Vel sic: Omnibus gratiam offert, per quam si volunt salvari possunt. Sed hæc solutio quomodo vera? Nonne multi sunt et fuerunt, qui ne verbum quidem prædicationis audierunt? Vel omnes vult salvos fieri

id est facit sanctos velle, ut omnes salvi fiant. Vel sic : Vult omnes salvos fieri, id est nullus fit salvus, nisi ipse velit. Simili modo intelligitur illud : *Qui illuminat omnem hominem (Joan. 1)*, id est nullus illuminatur, nisi ab ipso, et omnes in Christo vivificantur, juxta eundem modum oportet intelligi. Sic de ambiguo diversæ sententiæ dantur.

QUÆSTIO XIV. *Unus mediator Dei, et hominum homo Christus Jesus.* De mediatore jam superius ex-parte dictum est. Hic autem illud sufficiat intueri quod dicit expositor, quod in quantum est homo, est medius, non in quantum Verbum. Sed nonne inter angelos, et Deum Patrem, et etiam inter Spiritum sanctum medius est in quantum est Verbum, licet aliter inter angelos et Deum Patrem, et aliter in Spiritum sanctum medius sit et Patrem? Solutio. Bene concedi potest quod, in quantum est Verbum, medius inter rationales creaturas et Deum Patrem est; sed non est medius inter Deum Trinitatem, et homines in quantum Verbum est, sed in quantum est homo similis Deo in justitia, hominibus in mortalitate. Si enim in quantum est Verbum, esset medius inter homines et Deum Trinitatem, jam aliquid esset medium inter seipsum et aliud, quia verbum inter se et homines; quod non est concedendum. Dicet aliquis: Jam Christus non est mortalis, quomodo ergo est medius inter homines mortales, et Deum immortalem, cum ideo medius dictus sit; quia similis est hominibus per mortalitatem, et Deo per justitiam? Solutio. Adhuc nos Christus Deo Patri tanquam mediator optimus reconciliat per id quod pro nobis fecit in diebus carnis suæ, id est mortalitati.

QUÆSTIO XV. *Adam non est seductus, sed mulier.* Quæritur uter plus peccaverit, an Adam, an Eva? Solutio. Dicunt doctores, quod mulier non solum peccavit; sed etiam virum peccare fecit. Cui solutioni sic objicitur; Adam est seductus, quia non credidit verum esse, quod hostis persuasit; mulier vero est seducta credens verum esse, quod serpens dicebat; et sic consequens est quod ille scienter, et illa per ignorantiam peccavit; sed gravius est scienter peccare, quam per ignorantiam. Unde consequens est quod plus peccaverit vir quam mulier. Solutio. Ignorantia illa non habuit excusationem, quia ex culpa processit, dubitando enim respondit dicens. *Ne forte moriamur (Gen. 3)*. Vir autem cogitavit de Dei misericordia, et pœnitentia; et ideo minus peccavit.

QUÆSTIO XVI. Quæritur quomodo verum sit, quod non est seductus? Nonne credidit commissum esse veniale, quod erat mortale? Ergo et ipse aliquo modo est deceptus. Solutio. Non est seductus prior, et in eo, in quo mulier, ut dicit auctoritas. Sed nunquid non est seductus, si prior non est seductus, et in eo in quo mulier? Si enim quis non est vulneratus in capite, ergo non est vulneratus? Nunquid ad negationem determinatum sequitur simplex negatio? Solutio. Doctores Novi Testamenti

quandoque dicunt aliquod non fuisse, quod Scriptura Veteris Testamenti non dicit fuisse. Unde quia scriptura Geneseos loquens de seductione mulieris, nihil dicit de aliqua seductione viri, ideo Apostolus dicit: Adam non est seductus, sed mulier. Juxta eundem modum loquendi, alibi idem Apostolus, quod Melchisedech non habuit principium, neque finem, non patrem, non prolem asserit, cum tamen in veritate principium, et finem, et patrem, et forsitan prolem habuerit, sed quia scriptura sic induci eum, ut nec de ejus genealogia, nec nativitate, nec morte aliquid dixerit, ideo Apostolus asserit omnia prædicta non habuisse. Et Ambrosius dicit quod vir cum prima muliere benedicatur, et non cum secunda, quasi diceret: In sacra Scriptura legimus benedictionem viri cum prima muliere, sed non legimus, ubi Deus benedicat virum cum secunda.

QUÆSTIO XVII. *Salvabitur autem mulier per filiorum generationem.* Si generatio filiorum salvet, quid faciet continens vel virgo? nunquid non salvabitur, quia non habet filios? quid est quod alibi ait Apostolus: *Beatior autem erit, sive vidua, sive virgo, si sic permanserit?* Solutio. Non ponit causam salutis in filiorum generatione; sed potius in fide et dilectione, unde subjungit: *Si permanserit in fide et dilectione.* Et est sensus, et si mulier fuerit causa peccati, tamen salvabitur non solum continens, vel virgo, sed etiam nupta, etsi nunquam a filiorum generatione cessans, sed per filiorum generationem incedens ab hoc mundo exierit, si tamen permanserint in fide et dilectione. Vel augmentum salutis valebit ei, si filii ejus per doctrinam, et industriam ipsius permanserint in fide et dilectione, Vel mystice potius intelligitur. Mulier typus est carnis, quæ alibi signatur per turturem. Adam est figura rationis, quæ per passerem figuratur. Filii sunt bona opera, quæ per pullos turturis intelliguntur, qui in nido Catholicæ fidei tantum vivunt; extra non vigent, imo conculcantur, quia bona opera non prosunt paganis, Judæis, hæreticis, schismaticis. Unde dicit hic: Si permanserit in fide et dilectione, scilicet filii mulieris, pulli turturis, bona opera.

QUÆSTIO XVIII. *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat (I Tim. 3)*, etc. Sed iste ambitiosus desiderat episcopatum, nunquid potest inferri, ergo desiderat bonum opus? Solutio. Episcopatus est intentio super suam, et aliorum vitam, et sic nomen est operis, quod desiderat bonus, qui intermissa, sed non relicta, Rachele decora facie, cum Jacob intrat ad Liam oculis lippam, propter filiorum fecunditatem, de monte contemplationis cum Moyse descendit ad campos actionis, Non enim sic debet quisquam esse otiosus, ut in eodem otio non cogitet utilitatem proximi, nec sic actuosus, ut contemplationem Dei non requirat. Episcopatus etiam nomen est dignitatis, quam desiderat ambitiosus, qui vult potius præesse quam prodesse.

QUÆSTIO XIX. *Unius uxoris virum*, etc. Quæritur an monogamus debeat dici, et possit ordinari, qui

ante baptismum habuit uxorem; et ea dimissa renatus est in Christo et post fidelem duxit. Solutio. Dicit Hieronymus quod talis non est bigamus, et quod potest ordinari; cui jam novo nec supra, nec alia imputantur. Sed Augustinus dicit, quod monogamus non est, nec debet ordinari, licet ei non obsit, quod prius fecerat; propter mysterium quod in ordinandis servari debet; quod in prædicto non potest servari.

QUÆSTIO XX. Sed nunquid Hieronymus, et Augustinus, in solutione prædictæ quæstionis contraria sentiunt? Solutio. Hieronymus dicit quod talis monogamus est quantum ad meritum, nec est peccatum si ordinetur. Augustinus vero dicit, quod monogamus non est quantum ad vim sacramenti, nec potest ordinari, ubi sacramentum monogamiæ servetur; nec exigitur, ut in quolibet ordinando servetur, alioquin virgo non possit ordinari, cum non sit unius uxoris vir. Ecclesia est convocatio multorum ad unius Dei cultum.

QUÆSTIO XXI. *Magnum pietatis sacramentum*, etc. Quæritur quid hic dicatur sacramentum. Quandoque enim sacramentum dicitur rei sacræ signum, ut sacramentum baptismi et altaris, quandoque dicitur aliquid occultum et secretum, sive mysterium. Solutio. Sacramentum vocatur Christus secundum deitatem occultus, qui causa est totius religionis, et veræ culturæ. Quis enim unquam fuit pius et devotus in fide, nisi sacramenti hujus prius percepta cognitione?

QUÆSTIO XXII. *Quod manifestatum est in carne*, etc. Quæritur de qua manifestatione hic agatur. Solutio. De illa, quæ facta est prædicatione, virtutibus, et signis in carne assumpta ostensis.

QUÆSTIO XXIII. *Justificatum in spiritu*. Nonne sermo præcessit de Verbo Dei? hoc autem non est justificatum, sed potius ab æterno justum natum. Solutio. Cum sermo fit de Christo, diligenter intuendum est quod dicatur, et secundum quid; hoc ergo, justificatum in spiritu, intelligitur Christus secundum assumptum hominem, secundum quem immunis est ab omni peccato, omnimodam habens justitiam.

QUÆSTIO XXIV. *Apparuit angelis*. Hic habemus auctoritatem, quod angeli proficiunt in scientia per ea, quæ fiunt in Ecclesia, quod jam superius super locum; ut multiformis sapientia innotescat, etc., diligenter prosecuti sumus, et expositor idem testatur in hoc loco.

QUÆSTIO XXV. *Nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur* (I Tim. iv). Quæritur an hoc sit contrarium legali doctrinæ, quæ discernit quosdam cibos, dicens alios mundos, alios immundos? Solutio. In lege quædam animalium dicta sunt immunda non natura, sed significatione: ut si de porco, et agno requiratur, utrumque mundum in natura, quia omnis creatura bona est; in significatione tamen agnus mundus est, porcus immundus.

QUÆSTIO XXVI. *Pietas ad omnia utilis est, pro-*

missionem habens vitæ, quæ nunc est, etc. Quæritur quid vocet promissionem præsentis vitæ; nam de promissione futuræ constat. Solutio. Temporalium sufficientiam et spiritualium abundantiam. Utrumque enim Deus promittit cultoribus. Sufficiens temporalium promittitur, ubi dicitur: *Primum quærite regnum Dei et hæc omnia adjicientur vobis* (Matth. vi). Abundantia spiritualium ubi scriptum est: *Quicumque hæc, vel illa reliquerit propter me, centuplum accipiet* (Matth. xix), id est in præsentibus spiritualium bonorum jucunditas temporalium bonorum affluentiam tantum excedit, quantum centenarius unitatem superat.

QUÆSTIO XXVII. *Quæ data est tibi per prophetiam*, etc. Quæritur, quid vocet prophetiam? Solutio. Prophetiam vocat electionem sanctorum qui elegerunt eum in pontificem. Vel potius Spiritus sancti inspirationem, per quam cognovit Apostolus ipsum esse dignum episcopatu.

QUÆSTIO XXVIII. *Cum impositione manuum*. Quid ea est? Solutio. Impositionem manuum vocat verba mystica, quibus confirmatur ad hoc opus electus, auctoritatem accipiens, conscientia sua teste, ut audeat vice Domini sacrificia offerre.

QUÆSTIO XXIX. *Dignus est operarius mercede sua* (I Tim. v), etc. Quæritur, an id, quod a plebe datur prædicatori, sit debita merces et condigna; et an peccet, si pro ea prædicat, et an qui hoc facit vendat Evangelium. Solutio. Quis audeat dicere non esse mercedem, quod ipsa veritas vocat mercedem? Non tamen pro tali mercede debet prædicare, sed ut æternam mercedem accipiat a Domino. Necessitatis itaque est accipere unde vivitur, charitatis est præbere, imo debitum, ut qui accipiunt spiritalia, ministrent carnalia. Prædicator debet accipere, ut prædicet; non prædicare, ut accipiat.

QUÆSTIO XXX. *Peccantes vero coram omnibus argue*. Huic videtur esse contrarium, quod Dominus dicit in Evangelio: *Si frater tuus peccaverit in te, corripe eum inter te et ipsum solum* (Matth. xviii). Nunquid tam bonus discipulus discordat a tam bono Magistro? Solutio. Utrumque verum est, et aliquando illud, quod Dominus ait proprio ore scilicet quando tu solus sis, faciendum est; culpa enim occulta secreto debet argui, ut Joseph justus fecit de Maria, solus suspicans adulterium; alioquin, si aliter feceris, eris proditor, non corrector. Aliquando etiam faciendum est, quod Veritas dixit ore Pauli scilicet quando palam peccatur. Publica enim offensa publica indiget satisfactione.

QUÆSTIO XXXI. *Modico vino utere*. Quæritur quomodo id consuluit. Solutio. Speciale dat consilium, ut semetipsum salubri regat doctrina, prudenter enim vult Deus serviri sibi, non ut nimia abstinentia debiles fiant, et post medicorum suffragia requirant sui.

QUÆSTIO XXXII. *Languens circa quæstiones, et pugnans verborum* (I Tim. vi), etc. Quæstio erat, an aliquis esset servus, cum omnes ex eisdem patribus

sint orti, et omnes Christus redemerit. Item pugna A verborum liberaverit, quia Dominus dicit: *Si Filius vos liberavit, vere liberi estis* (Joan. viii), quæ et similia videntur dissentire a doctrina apostolica, quæ hortatur servos subjectos esse dominis suis, et similiter verbis domini dicentis: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, etc.* (Luc. xx.) Sic autem solvenda est talis controversia verborum; hoc, si Filius vos liberaverit, vere liberi estis, intelligendum est de spiritali libertate, non de carnali. Paulus autem loquitur de libertate et servitute carnali quam non tollit spiritalis.

QUÆSTIO XXXIII. *Radix omnium malorum est cupiditas.* Alibi dicit Scriptura: *Initium omnis peccati est superbia* (Eccl. x). Hic autem, quod avaritia vel cupiditas. Si enim avaritia habetur B species pro genere, quomodo utrumque verum est? si enim superbia initium est omnibus peccati, ergo cupiditatis? et si cupiditas radix est omnium malorum ergo superbiæ; et sic idem causa est et effectus ejusdem. Solutio. Cum dicitur quod radix omnium malorum est cupiditas, vel omni peccati initium superbia, si genera singula intelliguntur, falsum est, si autem genera singulorum, verum est. Nullum enim genus peccati est, quod non quandoque ex superbia, quandoque ex cupiditate nascatur. Nam sunt aliqui qui divitias cupiunt, ut per eas ad culmen honoris pertingere valeant; sunt alii, qui ideo dignitatem appetunt, ut ditiores fiant.

QUÆSTIO XXXIV. *Solus potens.* Nonne angeli potentes sunt unde et virtutes, et potestates vocantur? Solutio. Solus Deus potens per naturam ex eo quod est? angeli vero per gratiam ex eo quod acceperunt, potentes sunt.

QUÆSTIO XXXV. *Qui solus habet immortalitatem, etc.* Nonne animæ et angeli etiam per naturam sunt immortales? Solutio. Solus Deus habet immortalitatem, id est immutabilitatem, quia nec potuit, nec potest, nec poterit peccare. Hanc immortalitatem non habent nec angeli, nec animæ sanctorum, licet enim sint immortales per gratiam, tamen mutabiles per naturam vere esse creduntur.

QUÆSTIO XXXVI. *Qui lucem habitat inaccessibilem.* Propheta dicit: *Accedite ad eum, et illuminamini* (Psal. xxxiii): nonne ipse Deus est ipsa lux, quam dicitur inhabitare? quomodo monemur acce-

dere ad hanc lucem, si ipsa est inaccessibilis? Solutio. Nemo ex se accedit ad eam, sed cui datur dono ejus.

QUÆSTIO XXXVII. *Quem nemo hominum vidit, nec videre potest.* Nonne Abraham vidit Deum, et Moyses, et cæteri patres? Quomodo ergo verum, quod nemo Deum vidit unquam? Item nonne et nos ejus visionem speramus? Sed quomodo, si nemo potest eum videre? Solutio. Deus in natura sua est invisibilis oculo carnis; ille vero visiones sanctis patribus in creatura subjecta exhibitæ sunt. Unde Moyses post figuras illas, in quibus Deus videbatur ait: *Domine, ostende mihi faciem tuam* (Exod. xxxiii). In futuro autem videbitur Deum a mundo corde, et nunc videtur a sanctis angelis.

QUÆSTIO XXXVIII. *Devitans profanas vocum novitates, etc.* Quæritur an omnes vocum novitates sint vitandæ. Solutio. Non, quia non omnes sunt profanæ, ut hoc ipsum nomen Christianum, homousion, mandatum novum, et testamentum novum, et canticum novum, novitates vocant non profanas, sed sacras, et religioni congruentes. Hypostasis autem tempore hæreticorum notabat profanam novitatem, quo nomine hæretici utebantur, nunc in significatione personæ, nunc in significatione substantiæ ad deceptionem simplicium, ut si concederent Trinitatem esse hypostasim unam, inferrent: Ergo sunt una persona; sin autem dicerent Patrem, Filium et Spiritum sanctum esse tres hypostases, concluderent: Ergo sunt tres substantiæ. Nunc autem hoc vocabulum non notat profanam novitatem, quia redactum est ad significationem personæ. Unde concedimus modo simpliciter Trinitatem esse tres hypostases, et non unam; quod non erat concedendum sine determinatione olim, quando adhuc retinebat multiplicem significationem.

QUÆSTIO XXXIX. *Et oppositiones falsi nominis scientiæ, etc.* Quæritur quid vocet Apostolus scientiam falsi nominis. Nunquid logicam? sed si hoc est, quomodo Augustinus vocat dialecticam scientiam scientiarum, quæ non solum facit scientem, sed etiam demonstrat scientem? Solutio. Ut arbitrator, scientiam falsi nominis vocat artem sophisticam, cujus oppositiones devitandæ sunt a piis et mansuetis: quia non valent, nisi ad subversionem simplicium.

XI.

IN EPISTOLAM II AD TIMOTHEUM.

Paulus apostotus (II Tim. i), etc. Jam a mundo D transiturus hanc secundam epistolam scribit a Roma de carcere, Timotheo infirmitatibus et adversitatibus fatigato, ut constanter laboret in Dei gratia sibi credita, exhortans eum ad martyrium multis

modis, et ut perseveret in officio rectæ prædicationis, et sancta operatione: et prædicens quid futurum sit in novissimis temporibus et de suo obitu. Et est intentio Apostoli in hac epistola exhortari Timotheum ad sui officii diligentem executionem,

et ad palmam martyrii, et quædam adhuc addit de episcopali officio. Modus talis : primo salutatur, deinde gratias agit de bono quod habet, ubi suum videndi eum desiderium ostendit : postea monet ad prædicandum, et ad patientiam martyrii, suo exemplo et aliis modis : inde dicit quales futuri sint in novissimis diebus : tandem de tempore resolutionis suæ instanti.

QUÆSTIO I. *Non dedit nobis Deus spiritum timoris.* Quæritur de quo timore hoc dicatur. Solutio. De timore quem expellit amor Dei.

QUÆSTIO II. *Quæ data est nobis ante tempora sæcularia, etc.* Quando aliquid nobis nondum existentibus potuit dari ? Solutio. Data est, id est prævisa dari : unde non dicit simpliciter data est, sed addidit in Christo Jesu.

QUÆSTIO III. Item quæritur cur non dicat simpliciter *ante tempora*, sed addit, *sæcularia*. Nonne omnia tempora sunt sæcularia ? Ad quorum ergo differentiam dicit *sæcularia* ? Solutio. Dicunt quidam angelos creatos esse ante mundi creationem, et spatia illa, quæ erant a creatione angelorum, usque ad creationem mundi, vocat Apostolus alibi tempora æterna, ad quorum differentiam dicit hic tempora sæcularia. Sed dicit aliquis : Nonne tempus notat mutabilitatem, et æternitas immutabilitatem ? Quomodo ergo possunt aliqua tempora esse æterna ? quomodo simul esse mutabilia et immutabilia ? Solutio. Sic prædicti doctores hoc intelligunt : In illis spatiis, quæ dicuntur tempora æterna, erat successio, et nulla decessio : et sic quædam immutabilitas, et secundum hoc quædam æternitas. Huic sententiæ videtur Hieronymus consonare. Fere autem omnes doctores dicunt creatos angelos non ante, sed cum mundo ; sed quid secundum illos per tempora æterna debeat intelligi, videat et inquiret qui eorum opinionem sectatur. Mihi autem priorum sententia videtur potior, salva reverentia secretorum : hoc dico, nil temere asserendo.

QUÆSTIO IV. *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus (II Tim. II), etc.* Nonne viri activi Deo militant, et tamen implicati sunt sæcularibus negotiis ? quomodo ergo dicit Apostolus : *Nemo militans Deo, etc.* Solutio. Negotia vocat sæcularia cum animus occupatur cura colligendæ pecuniæ : quod nemo potest simul facere, et Deo militare. Viri autem activi non ad hoc exterioribus vacant : ut pecuniam colligant : sed ad hoc tantum, ut sibi, et aliis necessaria provideant.

QUÆSTIO V. *Ex semine David secundum Evangelium meum, in quo laboro usque ad vincula.* Quæritur de qua tribu erant Christus et Maria. Sed ex hoc loco nota Christum ex David natum : sicut in principio ait : *Ex semine David secundum carnem.* Et Gabriel archangelus de eodem : *Dabit ei Dominus Deus sedem David patris sui (Luc. I).* Hæc dico propter eos qui nolunt matrem Domini esse ex semine David, qui de tribu Juda erat : sed de tribu Levi tantum fuisse, et propter Joseph virum Mariæ, qui erat de familia David, Christum dicunt dictum ex

A semine David : et Origenes (ut dicitur) sic sensit. Alii dicunt, quod et nobis videtur, Mariam etiam de stirpe David processisse, et ita, de stirpe Juda, non solum de stirpe Levi. Nam duæ tribus, regalis et sacerdotalis, permistæ erant, et ideo non est mirum Virginem traxisse originem de utraque tanquam verum Regem, et Sacerdotem paritura. *Nolite verbis contendere.* Inter servos Dei non debet esse contentio, sed collatio, et modesta veritatis inquisitio.

QUÆSTIO VI. *Dicentes jam resurrectionem factam.* Quæritur de qua resurrectione dicat Apostolus : an de illa, quæ est mentium : an de illa, quæ est corporum ? Nam si de illa, quæ est mentium, quæ fit in baptisate, hoc dicatur, quomodo illi, qui hanc dixerunt jam factam esse, subverterunt quorundam fidem, cum hoc sit verum et credendum ? Item si de resurrectione corporum hoc dicebant, quomodo per hoc aliquorum fidem subvertebant, cum constet omnibus hoc falsum esse ? Solutio. Potest hoc de utraque resurrectione intelligi : per hoc enim quod dicebant jam resurrectionem mentium factam esse, nec aliam corporum futuram esse, decipiebant scilicet quia subdole resurrectionem corporum negabant. Vel etiam in hoc fidem subvertebant, quod dicebant resurrectionem corporum factam esse : inde sumentes occasionem erroris sui, quod scriptum est in Evangelio : *Multa corpora sanctorum surrexerunt, et apparuerunt in sancta civitate (Matth. XXVII),* negantes generalem resurrectionem, quam exspectamus, futuram.

QUÆSTIO VII. *In magna domo sunt non solum vasa aurea, et argentea, etc.* Quæritur quos intelligit per vasa aurea, et argentea, et quos per vasa lignea, et fictilia ? Solutio. Per vasa aurea, et argentea intelligit prædestinatos ; per vasa lignea et fictilia, reprobos. Vel per vasa aurea intelliguntur boni, sive sint prædestinati, sive non ; per vasa lignea et fictilia, mali, sive sint ad vitam præsciti, sive reprobi. Et sic secundum hanc sententiam de utrisque quædam sunt ad honorem, quædam ad contumeliam. Secundum vero priorem ad honorem tantum sunt vasa aurea et argentea ; ad contumeliam vero lignea et fictilia. *Stultas quæstiones, et sine disciplina devita, etc.* Hic innuit non omnes quæstiones vitandas esse, sed illas tantum, in quibus nullus est fructus. *Habentes speciem pietatis : virtutem ejus negantes.* Tales multi sunt in hoc tempore, quales hic describit Apostolus, qui se, non Deum, diligunt : habentes nomen et habitum sanctitatis, cum intus sint pleni omnium immunditiarum. Virtutem pietatis vocat charitatem, de qua scriptum est : *Fortis est ut mors dilectio (Cant. VIII) :* hanc necessario præcedit mundi contemptus.

QUÆSTIO VIII. *Omnes qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patientur (II Tim. III).* Nonne Ecclesia habet tempus pacis in quo multi pie vivunt, nec tamen persecutionem patiuntur ? Solutio. Sancti pluribus modis patiuntur, ut in corde et corpore :

nunc a diabolo, nunc a malis hominibus, nunc a concupiscentiis suis; quibus etiam est persecutio infirmorum conversatio. Hi enim dicunt cum Apostolo: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* (II Cor. xi). Non sunt itaque sine persecutione pie viventes in Christo, etiam tempore pacis.

QUÆSTIO IX. *Cursum consummavi* (II Tim. iv),

A etc. Nonne ad cursus consummationem adhuc restabat acrior et crudelior inimicus, scilicet Neronis gladius? Quomodo ergo verum erat Paulum consummasse cursum ante passionis triumphum? Solutio. Hoc dicit non re plena, sed spe certa. Qui enim fecit eum victorem in certamine, jam certum et securum per revelationem eum reddiderat de consummatione.

XII.

IN EPISTOLAM AD TITUM.

Paulus servus Dei (Tit. i), etc. Hanc epistolam scribit Tito relicto Crete episcopo, ex humilitate, et simplicitate nimis patienti, a Nicopoli, de episcopali officio imperiose et potestative tractando, præscripta ei sua auctoritate utili. Debet enim pontifex habere maternam pietatem, et paternam severitatem: ut sit fortis superbis, et suavis modestis: nec habens timoris angulum, nec elationis supercilium. *Urat et luceat*: Unde in veste legalis pontificis erat coccus bis tinctus, qui habet speciem ignis. Ignis autem duo facit: urit, et lucet; ita et pontifex gladio prædicationis, scilicet ignito eloquio, urere debet mordaci increpatione, et metuenti comminatione: et lucere blandis, fovendo et delectabilia promittendo. Ideoque de manna dicitur, quod indurabatur ad ignem, et liquescebat ad solem. Et baculus pontificalis ab inferiori pungit, et in summo ad anteriora extenditur in se rediens: quia ecclesiasticus doctor gladio verbi pungere debet, id est aspere arguere peccantes, quod est ex inferiori natura et correctos in anteriora dirigere, ita tamen ut ad propriam conscientiam sui consideratione redeat, si forte in se habeat quod aliis imprope-
rando annuntiat. Forma itaque baculi hoc figurat, quod pontifex rebelles pungere, et mites ad se trahere debeat, unde quidam ait:

Curva trahit mites pars, pungit acuta rebelles. Est ergo intentio Apostoli in hac Epistola instruere Titum de episcopali officio, atque monere, ut id imperiose tractet, et hæreticos vitet. Modus talis: Primo salutatur, deinde instruit eum de episcopali officio, docens eum quid agere debeat, et quales episcopos per civitates constituere: deinde qualiter diversos vel sexu, vel ætate, vel conditione instruere debeat: postea monet eum de vitandis hæreticis.

QUÆSTIO I. *Quam promisit ante tempora sæcularia*, etc. Quæritur quomodo vitam æternam promisit Deus ante omnia tempora, cum nondum essent homines, quibus promitteret? Solutio. Promisit, id est in seipso æterno immutabiliter proposuit, ut in tempore vitam æternam iis, quos jam prædestinavit, daret.

QUÆSTIO II. *Sine crimine*, etc. Non ait sine peccato: quia, ut dicit auctoritas, nullus quantumcumque pie vivat, etsi dignus nomine justus sit, est sine peccato. Sed dicit aliquis: Nonne in baptismo, et per veram pœnitentiam fit plenaria omnium peccatorum remissio? Quod si est, imo, quia ita est, constat quod iste baptizatus, et vere pœnitens est absque peccato. Quomodo ergo verum est, Nullus est sine peccato? Solutio. Cum dicitur, Nullus est sine peccato, sic intelligitur: Nullus quantumcumque sit bonus, potest transigere hanc vitam sine peccato; potest tamen vivere sine crimine, id est graviore peccato, et querela, id est peccato tali, quod est dignum accusatione, et damnatione, ut adulterium, homicidium, furtum, et similia.

QUÆSTIO III. *Creteenses semper mendaces*, etc. Quæritur, cur Apostolus doctrinæ suæ, cui inest divina auctoritas, intersevit verba Gentilis et infidelis auctoris, et loquens Atheniensibus ait: *In ipso vivimus, movemur et sumus* (Act. xvii); et alibi ait: *Inveniam aram, in qua scriptum est, Ignoto Deo, quæ de scripturis ethnicorum sumpta esse certum est* (ibid.) Solutio. Licet divinæ auctoritati, unde voluerit, assumere testimonium veritatis, quod necessarium esse judicavit. Non enim propterea omnia alia, quæ ibi sunt approbat, et vera esse judicat. In cujus rei figura Hebræi spoliaverunt Ægyptios auro, et argento et aliis, quæ erant necessaria ad divinum cultum. Et in lege præceptum est Judæis, ut si mancipium gentile emerent, ejus pili raderentur, et unguium incrementa abscinderentur, deinde ad usus domesticos assumeretur. Sic vanis et superfluis Gentilium superstitionibus abradis et decisis, quod purum repertum fuerit assumendum est ad ministerium domus Dei. Notandum est quod divini auctores hujusmodi testimonia ponunt in alia significatione, quam sint posita a suo auctore, ut illud: *Expediit, ut unus homo moriatur pro populo, [et non] quam tota gens pereat* (Joan. xi); aliter intellexit Caiphas, aliter evangelista. Ille enim cujus potentia et virtute locuta voce hominis est asina velut organo, usus est Caipha in prædictorum verborum prolatione.

QUÆSTIO IV. *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Nota, quod quidam confitentur Deum verbis tantum, alii etiam factis; quidam Deum tantum factis negant, quidam et verbis, et factis, qui Deum verbis et factis, confitentur, boni sunt. Qui autem negant et verbis et factis, infideles sunt; qui autem verbis confitentur, et factis negant, an dicendi sunt confitentes, an negantes simpliciter? Solutio. Audi. *A fructibus eorum cognoscetis eos* (*Matth. vii*), non ait a verbis. Omnes itaque mali Deum factis negant; omnes antichristi sunt, qui Christum negant vita. Antichristus nondum venit, et tamen jam multi antichristi sunt in mundo.

QUÆSTIO V. *Hæreticum hominem post unam, et*

A secundam correptionem devita (*Tit. ii*), etc. Hæreticum vocat, qui per legem, legem impugnat. Sed quare talis est vitandus. Nonne melius esset, cum eo sæpe conferre, et ab errore eum ad veritatem revocare? Solutio. Ex quo incorrigibilis est, melius est eum devitare, quia si sæpius corripere, exercitatio esset ad malum.

QUÆSTIO VI. *Cum sit proprio iudicio condemnatus.* Quæritur, quomodo iste talis proprio iudicio sit condemnatus, nam credit verum esse quod dicit, et sic non iudicat se damnatum. Solutio. De eo qui scienter peccat, qui errorem agnoscit et veritatem novit, et tamen errorem laudat, et veritatem vituperat, hic loqui videtur Apostolus, et hic talis teste conscientia damnatus est ut liquet omnibus.

XIII.

IN EPISTOLAM AD PHILEMONEM.

Paulus vincetus Christi Jesu, etc. Hanc Epistolam scribit Philemoni Colossensi, qui nulla ecclesiasticæ ministrationis præditus erat dignitate, sed vir laudabilis in plebe, cui familiares litteras mittit pro Onesimo servo suo, qui cum damno ejus fugerat, sed ab Apostolo audito Evangelio baptizatus, cui et veniam precatur, et culpam deprecatur Apostolus scribens ei a Roma de carcere. Et est intentio Apostoli implorare veniam Onesimo apud Philomenem. Modus talis est, prius salutat eum cum uxore et filio; deinde agit gratias Deo de bonis eorum, commendans fidem et charitatem eorum, postea Philemonem obsecrat, cum ei imperare posset, ut Onesimo parcat, et gratias Deo agat, quia talem illum recepit, ut non servum existimet, sed dilectissimum fratrem. Deinde dicit, ut paret sibi hospitium speranti ad ipsum venire.

QUÆSTIO I. *Philemoni, et Appiæ, et Archippo, etc.* Quæritur, quare in hac salutatione, non servet personarum dignitatem, scilicet cur Archippum, qui erat episcopus Colossensis non præponat, sed supponat, et Philemonem, qui nulla dignitate ecclesiastica erat præditus, præponat, nunquid ideo quia iste pater, et ille filius fuit? Solutio. Ideo laicum ordinato præponit, quia de re familiari agitur.

QUÆSTIO II. *Ita te, frater, fruar, in Domino, etc.* Quid est frui? nonne alicui inhærere propter se per amorem? sed sic solo Deo fruendum est, quia solus Deus propter se diligendus est; quomodo ergo dicit Apostolus ad Philemonem: Ita te, frater, fruar in Domino. Solutio. Non dicit simpliciter; ego te frater fruar; sed addit in Domino, per hoc innuens se finem dilectionis in Domino posuisse. Vel frui dicitur uti cum quadam delectatione, et sic potest hic accipi.

XIV.

IN EPISTOLAM AD HEBRÆOS.

Multifarium (*Hebr. i*), etc. Paulus, doctor egregius, gentium Apostolus, ministerium suum volens honorificare. Juxta quod in Epistola ad Romanos ait: *Quandiu quidem Apostolus gentium sum, honorificabo ministerium meum, tentans, si quomodo ad æmulandum provochem carnem meam* (*Rom. xi*). Ecclesiis Hebræorum hanc epistolam scribit agens de eminentia Christi secundum utramque naturam, et legis Mosaicæ inutilitate; astruens multis modis fidem Jesu Christi absque legalibus sufficere ad justitiam et salutem. Legalia vero post Christi passionem

non modo non proficere, verum etiam officere, quorundam Hebræorum existimationem excludens, qui Christum confitentes legales observantias tenendas esse putabant: et in hunc errorem quosdam etiam, qui de gentilitate venerant ad Christum, sua auctoritate induxerant; ideo providens Apostolus gentibus, ne deinceps in hunc errorem Hebræorum auctoritate trahantur, Judæos quoque ad æmulandum provocans, gratiam Dei commendat per Christum verum pontificem hoc tempore fidelibus factam, legem ostendens reprobam. Intentio itaque Apo-

stoli in hac epistola est Christi eminentiam, et fidei A sufficientiam, nec non legis insufficientiam et inutilitatem ostendere.

Modus tractandi talis est. Primo proponit audienda esse verba Christi sicut prophetarum, et amplius conferendo eum prophetis, et præferendo; quia in eo locutus est Deus ut in prophetis, et major est eis. Deinde commendat eum alternatim secundum utramque naturam, humanam, scilicet, et divinam, postea comparat eum angelis, et præfert, multa interserens de excellentia ejus secundum utramque naturam. Deinde comparat eum Moysi et præfert. Deinde multis rationibus et auctoritatibus gratiam fidei, umbræ legis perferendam declarat; et sacerdotium Christi sacerdotio Levitico et Testamentum Novum Veteri; ejusque D sacrificium unum multis illius sacrificiis præponendum ostendit; quia ibi umbra hic veritas. Tandem ponit fidei descriptionem; eam multis testimoniis commendans. Circa finem vero moralem subdit instructionem.

QUÆSTIO I. In primis quæritur, cur huic epistolæ sicut cæteris non præposuit nomen suum, quod est Paulus; cur etiam nomen dignitatis tacuit, quod est Apostolus? Solutio. Quia Hebræis odiosus erat, quibus legis destructor videbatur, nomen suum eis odiosum tacuit, ne præscripta nominis invidia sequentis excluderet utilitatem lectionis; sciens quoque eorum superbiam, suamque humilitatem demonstrans, sui ordinis dignitatem noluit anteferre nominando se Apostolum, sed meritum C sui officii tacens, superbis ipse humilis non se apostolum nominavit, ne superbi indignarentur. Sed dicet aliquis? Nonne Apostolus scribit fidelibus, qui erant Hierosolymis, quibus nomen Pauli non erat odiosum, nec ejus tanquam superbi dignitati invidebant; quomodo ergo verum est, quod ideo nomen proprium vel nomen dignitatis tacuit, quia Hebræis erat odiosum, cum his quibus, scripsit, non odiosus, sed dilectus fuerit? Solutio. Inter eos, quibus tanquam egregius gratiæ prædicator multum placuit, erant quidam legis æmulatores, qui legem cum gratia tenendam esse putabant, et prædicabant et his Pauli nomen fuit odiosum, Neminem enim suæ falsæ opinioni ita contrarium invenerunt sicut B Paulum, unde persequebantur eum, quantum poterant. Notandum quod fuerunt quidam dicentes hanc Epistolam fuisse minime Apostoli Pauli, quia ejus nomen huic non præponitur sicut in omnibus aliis, et ideo quod splendidiore atque facundiore stylo quam aliæ resplendet; sed aut Lucæ, aut Barnabæ, aut Clementis fuisse. Quibus Hieronymus sic respondet: Si ideo non est dicenda Pauli, quia ejus nomine non est inscripta, ergo nec alicujus illorum, imo nullius omnino, cum nullius nomen habeat in titulo, quod propter prædictam jam causam factum est. Quod autem majore refulget facundia quam aliæ, non est mirandum, cum naturale sit unicuique in sua lingua plus valere quam aliena; cum ergo hanc

solam lingua Hebraica, alias vero græca scripserit, quid mirum si majore nitet facundia?

QUÆSTIO II. *Diebus istis.* Quæritur quos dies vocet. Solutio. Tempus gratiæ vocat dies Apostolus propter eminentem fidei doctrinam et salutis cognitionem, unde alibi: *Eccenunc dies salutis* (II Cor. vi).

QUÆSTIO III. *Quem constituit hæredem universorum,* etc. Quæritur, secundum quam naturam Christus hic dicatur hæres universorum. Solutio. Bene dici potest, quod secundum naturam divinam hic dicatur hæres, id est possessor, et Dominus universorum, id est omnis naturæ. Vel secundum humanitatem dicitur hæres universorum scilicet salvandorum, vel Judæorum et Gentium. Hic est enim hæres mundi, semen illud, in quo benedicuntur omnes gentes, ad quem loquitur Pater, dicens: *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam* (Psal. ii).

QUÆSTIO IV. *Per quem fecit et sæcula.* Nonne Deus Pater fecit omnia per Filium visibilia et invisibilia, mutabilia et immutabilia? Cur ergo Apostolus non dicit: Per quem omnia fecit, sed per quem fecit et sæcula! Solutio. Hæc visibilia et mutabilia sunt magis nobis nota; et ideo in his Dei potentiam amplius miramur quam in iis, quæ sunt ignota, et hæc est ratio, quare sæcula potius nominavit specialiter.

QUÆSTIO V. *Qui cum sit splendor gloriæ* etc. Quæritur, quare hac utatur similitudine, et alibi alia? Solutio. Apostolus volens ostendere, quod, licet Filius sit ex Patre, tamen illi est coæternus, utitur proportionali rerum temporalium similitudine, dicens: qui cum sit splendor gloriæ, quasi diceret: sicut splendor ignis, licet sit ex igne, tamen igni est coævus et esset illi coæternus, si ille esset æternus, nunquam enim ignis fuit sine splendore; sic Filius, licet sit ex Patre, tamen illi est coæternus, quia nunquam Pater fuit sine Filio. Item volens ostendere identitatem naturæ, quam habet Filius cum Patre, aliarum rerum utitur proportionali similitudine, vocans Filium figuram substantiæ, quia utramque in eisdem rebus non potuit demonstrare. In creaturis enim nil invenitur, quod habeat esse ex alio, et sit ejusdem naturæ vel substantiæ et quod non præcedatur ab eo. Filius autem sic habet esse ex Patre, quod illi est coæternus; sicut splendor igni coævus et est ejusdem essentiæ sive naturæ cum Patre. Sicut homo generans, et homo ex eo genitus, sicut enim homo non potest gignere nisi id quod ipse est, id est quia homo hominem generat, sic Deus non aliud generat, nisi quod ipse est, id est Deus Deum. Lector diligenter intueret hæc verba Apostoli, et expositionem sanctorum super eadem; et animadvertes quomodo tam hæresis Sabelliana, quam Ariana destruitur hic manifeste.

QUÆSTIO VI. *Portansque omnia verbo virtutis suæ.* Quæritur quomodo dicitur omnia verbo portare Deus, cum ad proprietatem Verbi non pertineat portare. Similiter, an omnibus subsit, et non potius præsit et supersit, ut ea portare dicatur. So-

factus minor : ergo minor est angelis. Solutio. Non est dicendum simpliciter, quod sit minor angelis ; hoc autem paulo minus factus est minor, sic intelligitur, id est, secundum aliquid minoratus est, scilicet secundum carnis infirmitatem et passionem mortis, ut dicit autoritas : nec consequens est, quod si minor est secundum aliquid, quod ideo simpliciter sit minor.

QUÆSTIO XXV. *Omnia subiecisti sub pedibus ejus (Psal. viii).* Omnia aliquando universitatem colligit, ut omnes angeli cœli justi sunt. Aliquando per determinationem in partem redigitur, ut *omnia mea tua sunt (Joan. xvii)*, hoc enim dicit Deus Pater ad seniores filium, id est ad Judaicum populum : ideo per omnia hic intelligere oportet, non ea, quæ Deo secundum naturam conveniunt : sed ea tantum, quæ sunt necessaria ad salutem. Aliquando etiam omnia habet vim negationis, ut *omnia, quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis (Joan. xv)*, id est nulla nisi quæ audivi. Unde potest quæri quomodo hoc accipiatur cum dicitur, omnia subiecisti. Solutio. Dicunt quidam quod in partem redigitur, et per omnia tantum angelos, et homines intelligunt. Sed si excellentiora subjecta sunt Christo, quomodo non minora ? Cum Ambrosius dicat, quod sicut a Dei opere nihil excipitur, ita nec a Christi potestate. Et Augustinus ait : Nulla creatura erit non subjecta, cui primates angeli subjiuntur. Et ipse Apostolus ostendit nil esse exceptum, cum subjungit : *In eo enim quod omnia ei subjecit, nihil dimisit non subjectum ei.*

QUÆSTIO XXVI. *Nunc autem necdum videmus omnia subjecta ei, etc.* Propheta ait, omnia subiecisti ei : quod exponens Apostolus subjunxit, nihil dimisit non subjectum ei, quomodo ergo dicit hic : *Necdum videmus omnia subjecta ei ?* Solutio. David utitur præterito pro futuro more suo ex certitudine, dicens : *Omnia subiecisti ei.* Apostolus intelligens superius ait orbem futurum subjectum ei : et hic ait : *Necdum videmus omnia subjecta ei ; quasi diceret : jam ex parte prophetia impleta est, ex parte adhuc implenda.* Sed dicit aliquis : *nonne divinæ dispensationi omnia famulantur, cujus voluntati nihil resistere potest ? et sic jam velint nolint ei subjiuntur universa.* Quomodo ergo dicit Apostolus. *Necdum videmus omnia subjecta ei ?* Solutio. Subjectio alia est generalis, alia specialis. Item alia occulta, alia necessaria, alia voluntaria. Secundum generalem, et occultam, ac necessariam, jam omnia subjecta sunt Deo ; secundum voluntariam nondum omnia quæ subjiuntur subjecta sunt. Nondum omnis lingua cœlestium, terrestrium et infernorum confitetur, quia Dominus Jesus est in gloria Patris (*Philipp. ii*). Nondum omnes inimici positi sunt scabellum pedum ejus. (*Psal. cix*). Quod quidem totum fiet in futuro ; ideo dicit Apostolus : *Nondum videmus omnia ei scilicet volutarie, vel palam.* Nota quod mente humana solus Deus major est, non aliquis angelorum. Possunt quidem angeli majores dici quam homines quantum ad corpus et animum

A corporis corruptione aggravatum (*Sap. ix*) : sed non ad ipsam mentis puritatem, in qua assumpta est a Verbo.

QUÆSTIO XXVII. *Ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem, etc.* Mors Christi non omnibus profuit ; quomodo ergo pro omnibus mortem gustavit ? Solutio. Universitas hic redigitur in partem : scilicet pro omnibus prædestinatis gustavit mortem. Vel ideo dicitur pro omnibus gustasse mortem, quia quantum in ipso est omnibus sufficit mors Christi.

QUÆSTIO XXVII. *Decebat eum propter quem omnia, et per quem omnia, etc.* Quæritur quomodo decuit Deum Patrem, auctorem salutis fidelium per passionem mortis consummare. In quo consistit ista decentia, cum potius videatur indecens quod Dominus gloriæ moriatur ? Solutio. Si Christus non moreretur, homo periret : quod si esset, Deus ab universitate non glorificaretur ; et hoc esset indecens, cum propter Deum glorificandum omnia sint facta. Item si Christus non moreretur, homo non salvaretur, et sic divina prædestinatio non impleretur, et hoc esset inconveniens, ut ipsa cassaretur. Nec indecens erat ut auctor salutis pro nobis moreretur, cum sit proximus noster, et frater, et deceat proximum providere utilitati proximorum quantum potest ; unde sequitur :

QUÆSTIO XXIX. *Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, etc.* Quæritur an ideo Christus dicatur frater noster, quia nostræ naturæ factus est particeps, formam servi accipiendo (*Philipp. ii*). Sed cum natura suscepta a Deo, communis sit bonis et malis, videtur quod Christus non solum sit frater fidelium sed etiam infidelium. Solutio. Non solum ideo dicitur Christus frater noster, quia ipse participat de natura nostra, sed etiam ideo, quia nos de plenitudine gratiæ ejus accepimus. Ad hoc ergo quod aliquis dicatur frater Christi, oportet quod ei conjunctus sit natura et gratia.

QUÆSTIO XXX. *Et ipse, scilicet Christus, similiter participavit eisdem scilicet pueris vel carne, et sanguine.* Sed quæritur quomodo Christus pueris participaverit ? Solutio. Id est factus est puer constans ex anima, et carne, ut expositor dicit. Vel participavit carne et sanguine, id est, factus est homo, et hoc similiter, id est passibilis, et mortalis.

QUÆSTIO XXXI. *Ut destrueret eum, qui mortis habebat imperium.* Cum mors sit pœna juste illata a Deo et ita a Deo esse non inconvenienter dicatur, quæritur quomodo diabolus dicatur auctor mortis. Non enim idem videtur posse esse a Deo, et a diabolo. Solutio. Quia mors accidit ex peccato, quod diabolus persuasit, ideo imperium mortis habet, vel habere dicitur ; quia causa mortis fuit, ideo auctor appellatus est : unde dicitur quod Deus mortem non facit, id est causa ejus non habet esse ex Deo. Nota quod hæc justitia, qua redempti sumus. Quia enim fudit diabolus sanguinem non debe-

toris, jussus est reddere debitores ; et quia fudit sanguinem innocentis, in quo nihil invenit, est jussus recedere a nocentibus, quos quodam jure videbatur possidere.

QUÆSTIO XXXII. Dicit expositor quod nisi homo esset qui diabolum vinceret, non juste, sed violenter homo ei tolleretur. Sed nonne diabolum injuriam Deo fecerat, qui servum prius fraudulentè decepit, et post violenter possedit? Quam ergo injustitiam faceret Deus, si solo verbo potentiæ suæ eriperet hominem de manu injustissimi invasoris? Solutio. Omnia opera Dei justa, sed in quibusdam etiam est manifesta potentia, et latet justitia; in quibusdam etiam occulta latet potentia, et manifesta est justitia. Si ergo Christus in liberatione nostra uteretur manifesta potentia, et occulta justitia posset videri alicui minus discreto, quod homo non juste, sed violenter diabolo tolleretur: ut autem omnis iniquitas oppilaret os suum (*Psal. cvi*), usus est Dominus noster in nostri redemptione manifesta justitia, et occulta potentia.

QUÆSTIO XXXIII. *Ut liberaret eos, qui timoremortis, etc.* Quæritur cujus servituti subditi erant, quos liberavit Dominus? Solutio. Diabolum ante adventum Christi effectum nequitiae suæ per mortem obtinuit: cujus timore dejiciebat, quos nullo alio modo potuit dejicere. Nam pro vita sua omnia dabant. Unde in Job legitur: *Pellem pro pelle; omnia, quæ habet homo, dabit pro anima sua* (*Job 1*). Itaque timore mortis victi cedebant, et tentationi succumbebant, donec Christus venit, qui moriendo et resurgendo timorem mortis tulit de medio. Unde sancti mortem irrident, et cupiunt dissolvi, et esse cum Christo (*Philipp. 1*). Vel timore pænæ potest intelligi, quo Judæi sub lege serviebant, quos Christus evacuata lege per gratiam a legis onere, et servili timore liberavit.

QUÆSTIO XXXIV. *Nusquam enim angelos apprehendit, etc.* Quæritur an Deus posset assumpsisse angelicam naturam in unitatem personæ sicut fecit humanam? Solutio. Videtur nobis quod potuit, sed noluit; in quo dignitas generis nostri intelligitur: homini enim qui minus acceperat angelis in sua creatione, plus collatum est in sua glorificatione per gratiam. Non enim natura humana adorat supra se naturam angelicam, sed potius e converso.

QUÆSTIO XXXV. *Unde debuit per omnia fratribus assimilari.* Nonne per solam gratiam assimilatus est fratribus in hoc, quod homo natus est, quod educatus, passus, mortuus? quomodo ergo dicit Apostolus, quod hoc debuit, cum hoc non sit debitum, sed donum Dei gratuitum? Solutio. Non dicit simpliciter debuit, sed addidit, *ut misericors fieret* (*Hebr. 11*): moriendo enim non posset nobis misereri, nisi fieret prius passibilis et mortalis. Vel ideo dicit, debuit, id est decens fuit fratribus assimilari. Per hoc enim, quod nostras infirmitates, et mortem pro nobis pertulit, nos ad humilitatem provocavit, et charitatem in nobis accendit.

PATROL. CLXXV.

QUÆSTIO XXXVI. *In eo enim in quo passus est ipse, et tentatus potens est, etc.* Nonne ante passionem, imo ante incarnationem potens erat tentatis auxiliari? non enim ejus potentia per passionem est augmentata, quid est ergo in eo in quo passus? potens est eis, qui tentantur, auxiliari? Solutio. Post passionem bene novit etiam per experimentum quæ sit ista tentatio, et tribulatio patientium: unde cum multa alacritate protendit manum ad compatiendum; ideo dicitur, potens hæc facere, et perfecte hæc nosse. Scit enim qui sunt illi, qui pro ipso patiuntur, novit quando et quomodo quibus manum debet porrigere. Unde Propheta: *Factus est Dominus refugium pauperi in opportunitatibus in tribulatione* (*Psal. 119*).

QUÆSTIO XXXVII. *Quanto ampliorem honorem habet domus qui fabricavit illam* (*Hebr. 11*), etc. Nonne sæpe ille, qui dispensat in domo majorem habet in ea gloriam, quam ille qui fabricavit eam? quomodo ergo dicit Apostolus: Quanto ampliorem, etc. Solutio. Hoc intelligendum est de domo spirituali, quasi diceret: Christus tanquam Dominus et Creator major est Moyse servo et ministro.

QUÆSTIO XXXVIII. *Secundum diem tentationis, etc.* Quæritur a quibus fiat tentatio. Solutio. Tentat homo, ut sciat quod ignorat, secundum quam acceptionem tentatio est quædam animi blanda præcurrens experientia, ad aliquid agnoscendum, quod prius ignorabatur. Tentat Deus, ut probet per afflictionem et tribulationem, ut probatum coronet. Tentat diabolum, ut dejiciat aliquem in peccatum: unde dicitur: *Et ne nos inducas in tentationem* (*Matth. 6*), id est ne sinas dejici in peccatum. Tentat caro, cum ejus motus inordinatos sentimus. Tentat mundus, cum nos per vanitatem ad amorem sui provocat.

QUÆSTIO XXXIX. *Propter quod offensus fui, etc.* Alia translatio habet proximus fui. Quomodo ergo si offensus, fuit proximus; et si proximus, quomodo offensus? et si utraque littera non potest stare, utra potius tenenda? Solutio. Proximus fuit adhibendo correctionis flagella; quia proximi est proximum corrigere. Offensus fuit et iratus, quia per flagella etiam noluerunt pœnitere. Vel bonis quadraginta annis in hoc potest intelligi iratus; quia tanto tempore non eos introduxit in terram promissionis: hanc tamen sententiam non videtur sequens littera approbare. Malis vero in hoc potest intelligi proximus quadraginta annis, quia, tanto tempore eos sustinuit, nec ex toto delevit.

QUÆSTIO XL. *Si introibunt in requiem meam.* Quæritur qua figura id sit dictum. Solutio. Figura est quæ dicitur aposiopesis, et est sensus: Si hoc erit, quodlibet impossibile erit, vel non amplius eridatur mihi in aliquo. Nota quatuor esse Sabbata, sive requies. Prima requies est illa Dei, de qua scriptum est in Genesi: *Et requievit Deus die septimo* (*Gen. 1*); secunda requies est terra promissionis; tertia, quies mentis; quarta est æterna. Prima et

quarta Dei ; secunda et tertia hominis. Prima figura est quartæ, secunda tertiæ.

QUÆSTIO XLI. *Sicut juravi in ira mea, etc.* Quæritur quod hic vocetur ira Dei : constat enim quod talis passio non cadit in Deum. Solutio. Iram vocat Dei immobilem æternæ justitiæ sententiam, per figuram, quæ dicitur anthropopathos : quæ fit quoties ea, quæ de hominibus dicta passionem significant, Deo figurative attribuuntur. Jurat ergo Deus in ira, quando firmiter statuit punire pro peccati obstinatione. Nota quatuor esse genera symbolorum, id est signorum, id est eorum, quæ figurative dicuntur de Deo. Alia enim symbola sunt similia, et sunt a rebus corporalibus sumpta, ut ignis, lux, sol et alia hujusmodi. Alia similia et a rebus incorporeis sumpta, ut ratio, intellectus, spiritus et similia. Alia sunt dissimilia et a rebus corporeis sumpta, ut leo, ursus, vermis et ejusmodi. Alia sunt dissimilia, et a rebus incorporeis sumpta ut ira, furor, dolor, pœnitentia et similia.

QUÆSTIO XLII. *Ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati, etc.* Quæritur quod vocet fallaciam peccati. Solutio. Fallacia peccati est cum quis præsumit de gratia Dei : et hac securus fiducia jacet in peccatis : Vel quando promittit quis quod in futuro anno se corriget, ut in præsentī securius peccet, quod fit auctore diabolo. Potest etiam triplex fallacia hic notari, ut prima sit, quando pravo motui consentimus, secunda, quando ad opus malum prorumpimus ; tertia, quando in peccati consuetudine delectamur.

QUÆSTIO XLIII. *Quibus autem infensus est quadraginta annis, etc.* Quæritur quomodo id intelligatur. Solutio. Quadragenarius indicat integritatem annorum : ideo infensus dicitur illis quadraginta annis, quia irascitur peccantibus usque in finem vitæ suæ.

QUÆSTIO XLIV. *Et quidem operibus ab institutione mundi (Hebr. iv), etc.* Quæritur ubi fiat mentio de illa requie æterna, quæ significatur per terram promissionis : nam de requie Sabbati ibi agitur : Et requievit Deus die septimo ab omni opere, quod patrarat. De requie vero terræ Palæstinæ ibi mentio videtur fieri, ubi dicitur : Si introibunt in requiem meam. Solutio. Ubi agitur de requie Sabbati, vel de requie terræ Palæstinæ secundum litteram, ibidem agitur de vera requie anagogice, quæ per illas duas significatur.

QUÆSTIO XLV. *Requievit Deus die septimo, etc.* Dicit Scriptura, quod sex diebus Deus fecit omnia opera sua, ut nihil novum postea faceret ; sed nonne quotidie creat novas animas ? quomodo ergo nihil novum facit ? Solutio. Nihil facit Deus nisi de materia in prima conditione facta, ut quælibet corporea : vel ad similitudinem jam tunc factorum, ut spiritus incorporeos, scilicet humanas animas.

QUÆSTIO XLVI. *Iterum terminat diem quemdam hodie, etc.* Quæritur quomodo per hoc quod hic

A inducit Apostolus cogat Judæos ad intelligendam requiem aliam ab alia, quæ erat terræ promissionis, dicendo : *Hodie si vocem ejus audieritis, etc.* Solutio. Illi, quibus scribebat, fidem habebant, et David prophetam esse credebant : secundum quod necesse erat alium diem, et aliam requiem intelligere ab illa terræ promissionis requie ex prophetæ verbis ibi positis : et sic procedit probatio Apostoli :

QUÆSTIO XLVII. *Vivus est enim sermo, etc.* Dicit expositor quod Filius Dei videt quomodo ratio, et sensualitas in suis differentiis conveniunt : sed nonne in differentiis differunt : quomodo ergo in differentiis suis conveniunt : nunquid aliqua possunt in eodem convenire, et differre. Solutio. Non dicit quod in differentiis, quibus ratio differt a sensualitate, vel e diverso, hæc duo conveniant, sed quod ratio differentias habet, quibus ipsa a seipsa distinguitur, dum in Deum inhiat de divina usia cogitans, vel inferius cœlestia considerans, invisibilium spirituum naturas contemplatur, vel in terra de mundanis recte pertractandis agit. Similiter et sensualitas differentias habet, quibus a seipsa dividitur dum plus dedita infimis rebus inferior est, vel ab illis revocata dignior est. Videt itaque Filius Dei quomodo superior differentia sensualitatis consentiendo convenit cum differentiis rationis ? vel inferior differentia rationis pressa, et captiva aliquando consentit inferiori differentie sensualitatis. Nota quod anima ponitur vel pro sensualitate, vel pro carnalibus peccatis, vel pro carnalibus cogitationibus : sic et spiritus pro ratione, vel pro spiritualibus peccatis, vel pro bonis cogitationibus. Cum dicitur quod sermo Dei pertingit usque ad divisionem animæ et spiritus (Hebr. iv), unde triplicem expositionem invenies in glossa propter triplicem animæ et spiritus acceptionem.

QUÆSTIO XLVIII. *Tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.* In eo quod tentatus est, scit compati. In eo quod absque peccato potest liberare. Dicit expositor quod impossibile est homini scire afflictiones, nisi eas expertus fuerit. Sed nonne multi ex solo visu sciunt aliorum afflictiones, quas nusquam passi sunt : adeo etiam quod eis compatiuntur ? quomodo ergo verum est, *impossibile est homini*, etc. Solutio. Non expertus non scit ita perfecte sicut ille qui per experimentum novit : quem modum cognoscendi notat Apostolus dicens : *Non habemus pontificem qui non possit compati*, id est noverit.

QUÆSTIO XLIX. *Nec quisquam sumit sibi honorem (Hebr. v). etc.* Nonne multi maximi in hoc tempore seipsos ingerunt : et non vocati etiam quandoque per violentiam sumunt sibi honorem ? quomodo ergo verum est : *Nec quisquam sumit sibi honorem ?* Solutio. Nemo pie et religiose agens seipsum ingerit. *Neque Christum seipsum glorificavit, etc.*, cum hæc glorificatio Patris de Filio facta sit secundum humanam naturam.

QUÆSTIO L. Quæritur quomodo hæc auctoritas :

Ego hodie genui te, quæ secundum Augustinum exponitur de æterna generatione, in hoc loco ab Apostolo inducitur : quomodo Pater dicens, *Ego hodie genui te*, testatur Christum secundum quod homo, Filium suum esse, et mundi redemptorem? Solutio. Hieronymus dicit quod hæc auctoritas de humana Christi generatione sic intelligitur: *Hodie*, id est in tempore gratiæ et lucis, *genui te*, id est incarnavi te : vel genui, id est, ostendi te esse genitum : secundum quod bene inducitur hæc auctoritas.

QUÆSTIO LI. *Secundum ordinem Melchisedech*, etc. Dicit expositor quod temporalis non fuit Melchisedech : sed nonne homo fuit tantum, et sic temporalis, quia omnis homo est temporalis. Solutio. Ideo dictum est quod non est temporalis : quia Scriptura subicit ejusdem initium et finem vite, in figura Christi, qui caret initio et fine. Vel potest dici sacerdos non temporalis propter ejus sacerdotium, quod manet in Christo in æternum.

QUÆSTIO LII. *Exauditus est pro sua reverentia*, etc. Quæritur quid sit Christum exauditum esse pro sua reverentia. Nonne Stephanus similiter exauditus est pro sua reverentia, et cæteri sancti? Quid ergo magnum de Christo si sit exauditus pro sua reverentia? Solutio. Non est mirum si quædam dicantur de Christo communia martyribus, cum quædam etiam communia legalibus sacerdotibus hic ponantur. Potest tamen dici, quod Stephanus exauditus est pro reverentia Christi potius quam pro sua : Christus enim per se intravit, alii per ipsum : unde et *de plenitudine ejus omnes acceperunt* (Joan. 1). et sic aliquid speciale dicitur de Christo cum legitur, quod exauditus est pro reverentia sua : quæ in hoc notatur, quod sine peccato et sola charitate mortuus et passus est.

QUÆSTIO LIII. *Didicit ex his quæ passus est obedientiam*, etc. Ea discimus, quæ ignoramus : cum igitur Christus omnia noverat tanquam Deus, quomodo didicit quod non ignoravit? Solutio. Hæc quæstio jam satis superius est agitata. Dictum est enim quod duplex est cognitio, una comprehensionis, altera experientiæ : illam quæ est comprehensionis ab æterno habuit, alteram vero didicit ex tempore.

QUÆSTIO LIV. *Quæ sunt elementa exordii sermonum Dei*, etc. Quæritur quæ sit differentia inter hæc tria, elementa, exordium, sermonem Dei? Solutio. Sermonem Dei vocat doctrinam evangelicam ; exordium Symbolum, et orationem Dominicam : elementa sunt materia, quam symbolum continet, ut nativitas, passio, et alii fidei articuli.

QUÆSTIO LV. *Omnis qui lactis est particeps*, etc. Dicit expositor : Qui non capit, *Verbum caro factum est* (Joan. 1) : quomodo capiet, *In principio erat Verbum* (ibid.). Quæritur ergo quomodo ad intelligendum levius sit, Verbum caro factum est, quam istud. In principio erat Verbum, cum istud de incarnatione Verbi sit contra rationem humanam : illa vero altiora, et de personarum Trinitate, et unitate essentiæ rationæ investigentur, ut ex pro-

phetis apparet? Solutio illa de incarnatione ideo leviora dicta, quia visibiliter exhibita sunt : hæc vero difficiliora, quia paucorum solo intellectu comprehensa.

QUÆSTIO LVI. Item quæritur quomodo illi, quibus loquitur Apostolus hic, indigebant, ut docerentur quæ sint elementa exordii sermonum Dei, Nonne fideles erant? quomodo ignorabant nativitatem, passionem, et alios articulos fidei : cum sine his nemo fidelis est? Solutio. Illi hæc sciebant, sed non plene.

QUÆSTIO LVII. *Quapropter intermittentes sermonem* (Hebr. vi), etc. Cum illis necessarius esse videatur sermo inchoationis, quomodo dicit intermittentes inchoationis sermonem? Solutio. Sensus est : non semper immorari debetis in his, quæ ad inchoationem pertinent, sed ad perfectionem tendere.

QUÆSTIO LVIII. *Non rursus jacentes fundamentum*, etc. Hoc videtur contrarium prædictis. Si enim elementorum adhuc indigebant doctrina, fundamentum erat illis necessarium. Solutio. Glossæ huic quæstioni sufficiunt exponentes qualiter non rursus debeat intelligi.

QUÆSTIO LIX. *Ab operibus mortuis*, etc. Mortua opera vocat peccata mortalia, vel opera bona, quæ per malum superveniens sunt mortificata : quæritur ergo quomodo verum sit, quod nullum bonum sit irremuneratum, sicut nullum malum impunitum. Solutio. Talia bona ideo mortua dicuntur, quia non prosunt ad vitam æternam : et tamen in hoc remunerabuntur, quia minus in futuro punientur, qui illa fecerunt. Vel forsitan temporale commodum pro eis datum est. Item talia bona mortua dicuntur, quia per pœnitentiam reviviscere possunt secundum quosdam : non ideo quod amplius pro eis remunerentur : sed quia ex bonis ante factis facilius gratiam consequentur. Nobis autem videtur quod, deleta peccato per pœnitentiam, per quod erant mortificata sicut prius antequam essent mortua, digna sunt vita æterna.

QUÆSTIO LX. *Baptismatum*, etc. Quæritur quomodo hic dicat pluraliter baptismatum, cum alibi dicat : *Unus Dominus, una fides, unum baptisma* (Ephes. iv), etc. Si unum, quomodo plura? Solutio. Sicut dicitur una fides non numero, sed genere, ut tradit auctoritas, sic potest dici unum baptisma non numero, sed genere, quia una forma : nec potest iterari : et quia est ibi una trium personarum operatio, plura quantum ad singulas ablutiones dicuntur. Vel ideo baptismatum in plurali dicit, quia est baptisma in potentia, in sanguine : nec hoc ideo, quod sacramentum baptismatis celebretur nisi in aqua : sed quia vicem baptismi supplet sanguinis effusio, fides, et pœnitentia : ibi duntaxat ubi articulus necessitatis, non contemptus religionis excludit sacramentum baptismatis. Cui solutioni sic objicitur : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum* (Joan. iii).

Secundum hanc auctoritatem videtur, quod nullus dignus sit salute sine susceptione hujus sacramenti. Solutio. Doctores sic prædicta verba Domini exponunt : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, etc.*, id est, nisi quis renatus eo spiritu, et regeneratione fuerit, qua renascuntur illi qui renascuntur ex aqua, et Spiritu sancto potest salvari. Hoc autem spiritu diversis modis renascuntur homines. Renascuntur alii per pœnitentiam, alii per effusionem sanguinis, alii per baptisma. Nota quod fundamentum Christianæ religionis dividitur in sex, quæ hic ponuntur ab apostolis, scilicet pœnitentia, fides, baptisma, manuum impositio, resurrectio, futurum judicium : quæ ad instructionem neophytorum pertinent.

QUÆSTIO LXI. *Impossibile est eos, qui semel illuminati,*, etc. Hic videtur Apostolus graviter prolapsis negare pœnitentiam, sicut in sequenti ubi dicit : *Voluntarie peccantibus jam non relinquitur hostia pro peccato.* Solutio. Nobis videtur quod utrobique describit peccatum in Spiritum sanctum, in cujus baratrum quicumque semel inciderit, impossibile est quod pœnitentiam consequatur vel salutem. Doctores vero dicunt quod hic *impossibile*, etc., non negat omnem renovationem, sed tantum baptismatis iterationem. Vel de futuro statu potest intelligi : cui sententiæ quædam glossæ deserviunt.

QUÆSTIO LXII. Dicit expositor quod baptisma valet etiam contra sequentia peccata. Sed quæritur quomodo peccata, quæ nondum sunt facta, jam sint dimissa. Solutio. Dicunt quidam quod ideo baptisma dicitur valere contra sequentia peccata, quia per gratiam in baptisate collatam futura peccata vitantur. Sed secundum hanc solutionem quid est hoc, quod in eadem glossa sequitur, si pœnitentia de his agatur? Nobis sic videtur esse intelligendum, quod baptisma valet contra sequentia : quia ex virtute baptismatis minore satisfactione deleri possunt : ut si contingat fidelem et infidelem idem peccatum committere, pœnitentia, quæ sufficit renato ad salutem, eadem infideli vel nondum renato non sufficit. Hoc dico absque præjudicio melioris sententiæ.

QUÆSTIO LXIII. *Intravit Dominus per semetipsum,*, etc. Cum Dominus in Evangelio dicat : *Sit sermo vester : Est, est ; Non, non : quod autem amplius est, a malo est* (Matth. v), quæritur quomodo juravit Dominus tunc Abraham. Nunquid non crederet, vel tardius crederet Abraham Deo, si promitteret sine juramento? Solutio. Non propter Abraham juravit Dominus, cum sine juramento ei firmiter crederet : sed propter eos, qui post eum futuri erant, qui promissioni factæ Abraham aut omnino non crederent, aut tardius crederent, nisi esset per juramentum confirmata, et sic juramentum illud fuit non a malo Abraham, sed illorum qui futuri erant.

QUÆSTIO LXIV. Si quæritur : Quare juravit Dominus per semetipsum? Solutio. Quia solent homines per majorem sui jurare, Deus autem non ha-

buit majorem : unde constat eos peccare, qui per aliquod inferius jurant. Nam illud, per quod jurant, quodammodo superius se constituunt.

QUÆSTIO LXV. *Et omnis controversiæ eorum finis juramentum.* Quid ergo dicemus de judicio ignis, vel aquæ, vel aliorum hujusmodi, quæ recipere videtur Ecclesia. Nonne in illis etiam finis controversiæ consistit? Solutio. Hæc judicia Ecclesiæ non sunt : unde et rei multoties inde absolvuntur, et non rei quandoque judicantur : quod nequaquam fieret, si mater Ecclesia hæc haberet. Unde in quibusdam locis potius hæc tolerat, quam commendet. Sed dicet quis : Idem judicium debet fieri de juramento. Id nos concedimus. Non enim Ecclesia instituit illud, sicut nec prædicta.

QUÆSTIO LXVI. *Secundum ordinem Melchisedech* (Hebr. vii), etc. Quæritur quomodo? Solutio. Christus secundum ordinem Melchisedech pontifex multis modis dicitur. Tum quia ille rex et sacerdos solus fuit, ita Christus ; tum quia non oleo visibili, ut Moyses institutus fuit, sed oleo exsultationis et puritate fidei unctus est ; nec animalia immolavit, sed in pane et vino oblato sacrificium Christi dedicavit ; sic et Christus Spiritu sancto unctus est a Patre ; qui semetipsum in ara crucis Deo Patri obtulit ; et quia verum corpus et sanguinem in cœna discipulis dedit, et quia ejus sacerdotium manet in æternum secundum ritum et dignitatem.

QUÆSTIO LXVII. Quæritur quid illa oblatio Melchisedech in pane et vino profuit sumentibus? Solutio. Dicunt quidam, quod tantum iis, qui sumebant cum fide, quantum nunc corpus Christi prodest. Quod nobis non videtur esse verum : non enim sacramenta legis naturalis, vel legis scriptæ tantum profuerunt, vel prodesse potuerunt, quantum sacramenta gratiæ.

QUÆSTIO LXVIII. *Quod minus est, sine ulla contradictione benedicitur.* Nonne sæpe vir sanctus benedicitur ab eo, qui est minoris sanctitatis : ut cum monachus benedicitur ab aliquo sacerdote sæculari, quomodo ergo verum est, quod minus est, benedicitur a majore? Solutio. Potest aliquis esse minor aliquo excellentia meritorum, et major eodem dignitate : hic autem agitur de majoritate et minoritate quæ consistit secundum dignitatem. Quod ergo minus est dignitate, benedicitur ab eo, quod est majus dignitatis excellentia. Nec agitur hic de qualibet benedictione, sed de illa tantum, quæ convenit consecratis.

QUÆSTIO LXIX. *Per Abraham, et Levi, qui decimas accepit, decimatus est,*, etc. Dicit Augustinus quod sicut, Adam peccante, qui in lumbis ejus erant peccaverunt ; sic Abraham decimas dante, qui in lumbis ejus erant decimati sunt. Sed nunquid Christus, vel Adam peccante, peccavit ; vel Abraham decimas dante, decimatus est, cum fuerit in lumbis utriusque, secundum carnem? Cum ergo Levi et Christus in lumbis Abraham pariter fuerint, quomodo Levi est decimatus, et non Christus? Vel

si Christus decimatus sicut Levi, quomodo probat Apostolus sacerdotium Christi sacerdotio levitico majus esse : per hoc, quod ordo leviticus in Levi, sit decimatus in Abraham ? Solutio. Erant quidam et forte adhuc sunt dicentes carnem Christi ab Adam usque ad virginem integram, et incorruptam servatam esse, qui non sunt audiendi. Levi ergo est decimatus, et non Christus, quamvis uterque ibi fuerit, quia Levi inde contraxit unde decimationi subjacuit, id est culpam. Christus autem nihil inde contraxit, unde decimationi foret subjectus, cujus caro non vulnus, sed vulneris medicamentum inde contraxit. Cui solutioni sic objicitur: Tota caro, quæ fuit in Isaac ex Abraham descendit secundum communem legem, scilicet per concupiscentiam ; sed caro Christi fuit in Isaac : ergo caro Christi per concupiscentiam descendit ex Abraham. Solutio. Non est simpliciter concedendum quod caro Christi per concupiscentiam inde sic descenderit ; hoc enim esset, quod per concupiscentiam fieret caro Christi ; potest tamen concedi per divisionem : quædam caro, postea quæ fuit Christi secundum communem legem, inde descendit, quæ a primo homine usque ad Mariam sub originali fuit peccato.

QUÆSTIO LXX. *Translato sacerdotio, necesse est legis fieri translationem.* Quæri potest quomodo ad sacerdotii translationem necessario sequatur legis translatio. Solutio. Quia enim simul ab eodem sub eadem sponsione utraque data sunt : quod de uno asseritur, et de altero necessario intelligitur. Vel ideo translato sacerdotio, necessario transfertur lex ; quia ideo fit translatio sacerdotii, quod ejus ministerio nemo justificabatur et sic propter suam insufficientiam et infirmitatem translatum est ; sed lex æque insufficientis et infirma. Unde Apostolus : *Nihil ad perfectum adduxit lex (Hebr.)*. Eadem ergo necessitate transfertur ipsa. Quia neutrum ergo potuit consummare, utriusque fit translatio : quod figuratum in sacerdote et levita, languidum, qui incidit in latrones, transeuntibus et misericordiam curationis non conferentibus (*Luc. x*).

QUÆSTIO LXXI. *Manifestum est autem quod de Juda ortus est Dominus noster.* Quæritur igitur an etiam mater ejus ? Solutio. Quæstionem illam, quam superius posuimus super Epistolam ad Timotheum, revoca ad memoriam, quam faciunt verbis Origenis dicentis, quod Maria tantum fuit de tribu Levi, et propter Joseph tantum dictus est Dominus de tribu Juda. Sed, sicut dixi, duæ tribus permistæ erant regalis, et sacerdotialis, et virgo ex parte patris de tribu Juda fuit, et ex parte matris de tribu Levi.

QUÆSTIO LXXII. *Nihil ad perfectum adduxit lex, etc.* Nonne quidam perfecti erant tempore legis, ut David, et alii multi ; et justitiam illam, quia justi erant, ex obedientia divinæ legis habebant quomodo ergo ex lege justi non erant ? Solutio. Justi illius temporis non ex lege, sed ex fide futuri jus-

titiam habebant : lex enim delicta ostendit, non abstulit.

QUÆSTIO LXXIII. *Ad interpellandum pro nobis, etc.* Quæritur quomodo Christus interpellat pro nobis ? Solutio. Dicit expositor quod repræsentatione sui, quod sic intelligendum est quod meritum passionis suæ, quam in sua humanitate exhibuit, nos credentes Patri reconciliat.

QUÆSTIO LXXIV. *Qui non habet quotidie necessitatem (Hebr. viii).* Quæritur de sacrificiis legis quid utilitatis contulerunt : nunquid peccatorum remissionem ? Solutio. Pro quibusdam peccatis peccantes prohibebantur ab ingressu, et per sacrificia sic reconciliabantur ut liceret eis ingredi in templum : non autem per talem remissionem fiebant digni vita æterna.

QUÆSTIO LXXV. *Si ergo super terram esset, nec esset sacerdos, etc.* Quæritur quomodo hæc intelligenda ? Solutio. Hujus capituli littera minus continens est, et decisa : ideoque caliginem ingerit. Unde quinque exponitur modis, sicut habetur in glossis. Nota in omni sacrificio quatuor considerantur scilicet cui offeratur, et a quo offeratur, quid offeratur, et pro quibus offeratur. Idem ipse unus utriusque mediator per sacrificium pacis reconcilians nos Deo, unum cum illo maneret, cui offerebat, unum in se faceret pro quibus offerebat ; unus ipse esset, qui offerebat et quod offerebat.

QUÆSTIO LXXVI. *Qui exemplari, et umbræ deserviunt, etc.* Quæritur quod hic dicatur exemplar. Solutio. Veritas in monte Moysi ostensa dicitur figurarum juxta se factarum exemplar. Item ipsæ figuræ dicuntur exemplar veritatis, quæ postea impleta est : et sic ipsæ figuræ diverso respectu et exemplum et exemplar dici possunt. Exemplar enim proprie dicitur ad cujus similitudinem aliquid fit ; exemplum, quod inde trahitur.

QUÆSTIO LXXVII. *Nam, si illud prius culpa vacasset, etc.* Nonne lex bona, sancta et a Deo data ? quomodo ergo non vacat a culpa ? Solutio. Ea ratione dicitur vetus testamentum a culpa non vacare, qua dicitur lex iram operari, scilicet, quia non justificat, et quia præcipit quod non potest fieri sine gratia.

QUÆSTIO LXXVIII. Quæritur cur non eo ritu colimus Deum quo coluerunt eum Hebræi patres ? Solutio. Quia aliud Deus præcepit nobis per patres novi testamenti : Neque hæc contra vetus testamentum sunt, quæ nos observamus, sed in illo prædicta, et prænuntiata.

QUÆSTIO LXXIX. Item cur auctoritatem illius testamenti teneamus ? Solutio. Ne prophetas extinguamus, et testimonium de medio offeramus veritatis. Cum ergo aliquid legitur, quod a nobis non observatur, quærendum est tantum quid significet, non reprehendendum ; quia eo ipso, quod jam observatur, non damnatum, sed impletum probatur.

QUÆSTIO LXXX. Item quæritur unde illud vetus dicatur testamentum, hoc novum, cum lex implea-

tur per novum testamentum? Solutio. Vetus testamentum, vetus vocatur pro veteri noxa, quæ per litteram jubentem, et minantem non sanatur. Hoc autem novum dicitur propter novitatem spiritus, quæ hominem sanat a vitio vetustatis. Nota diligenter quæ sit differentia inter duo testamenta: illud vetus, hoc novum. Ibi littera, quæ sola occidit, hic spiritus vivificans. Illud scriptum est in tabulis lapideis, hoc in mentibus et in cordibus. Illud promittit terrena, hoc cælestia. Illud habet sacramenta salutem significantia, non conferentia; hoc habet sacramenta salutem conferentia. Item nota quod testamentum dicitur, et ipsa promissio temporalis, vel æterna, et scriptum continens ipsam promissionem. Vetus ergo testamentum continens promissionem ad veterem hominem pertinentem. Novum vero testamentum, quod continet promissionem æternæ hæreditatis quæ ad novum hominem spectat.

QUÆSTIO LXXXI. *Si enim cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat (Hebr. ix), etc.* Quæritur quid vocet coinquinationem, a qua sanctificat cinis vitulæ aspersus? Solutio. Contactum mortuorum sic vocat; vel lepram, a qua mundat cinis ille, id est a pœna, quæ secundum legem tali immunditiæ debebatur: quo tactu significatur consensus peccati.

QUÆSTIO LXXXII. *Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori.* Dicit expositor quod eadem necessitate, et jure naturæ Christus mortuus est; qua necessitate, et in re alii homines moriuntur. Unde quæritur an Christus sit necessitate mortuus, et an habuit necessitatem moriendi? Quod videtur manifeste secundum prædictam auctoritatem. Sed si necessitate, quomodo sola voluntate mortuus, sicut scriptum est: *Oblatus quia voluit?* (Isa. liii.) Solutio. Dicunt quidam quod inter cæteras pœnalitates, quas Dominus suscepit cum natura nostra sine culpa: etiam hanc pœnalitatem, scilicet necessitatem moriendi suscepit voluntarie: quæ non excludit voluntatem, nec excluditur ab ea. Nec tamen intelligendum est quin Christus potentia divinitatis posset deponere hanc pœnam sine animæ et corporis dissolutione, et supervestire naturam assumptam stola immortalitatis; sed si amplius non conferret, quam ei collatum est ante mortem, necessario moreretur.

QUÆSTIO LXXXIII. *Expectantibus se in salutem, etc.* Super hunc locum dicit expositor quod Christus non necessitate, sed voluntate pro peccato expectantium se in salutem mortuus est: sed superius dictum est quod mortuus est necessitate: quod videtur esse contrarium. Solutio. Quod hic dicit, sic intellige. Christus mortuus est non necessitate, id est in eo non fuit peccatum, pro quo necesse fuit eum mori: unde quasi exponens, quod dixerat, subjungit: sed pro peccato eorum mortuus, scilicet qui eum expectabant in salutem.

QUÆSTIO LXXXIV. *Alioqui cessarent offerri (Hebr. x), etc.* Hostiæ legales, ut dicit Apostolus, si per-

fectos facerent offerri cessarent: unde quæritur cur hostia salutaris novi testamenti cum perficiat, et sanctificatos consummet, sæpius offeratur, et offerri non cesset? Solutio. Semel quidem oblata per passionem mortis in ara crucis in forma humana est; nec iterum sic per mortem offertur, sed tamen in sacramento sæpius offertur, non causa suæ infirmitatis, sed potius nostræ, qui quotidie peccamus: et præcipue propter recordationem mortis Christi, ut amor ejus cordibus nostris altius infigatur per hoc, quod memores sumus tanti beneficii.

QUÆSTIO LXXXV. *Corpus autem aptasti mihi, etc.* Quæritur in quo aptaverit corpus Christi? Solutio. Hæc aptitudo in duobus consistit, scilicet in munditia, et mortalitate: nisi enim esset mundum, per ipsum immundi non possent redimi, nisi esset mortalitate non posset immolari; necesse est ergo ut Domini corpus esset mundum per immunitatem peccati et mortale.

QUÆSTIO LXXXVI. *Non deserentes collectionem vestram.* Quæritur an Apostolus damnet hic quod Dominus permittit, dicens: *Si vos persecuti fuerint in una civitate fugite in aliam (Matth. x)*, cujus rei etiam ipse dedit exemplum fugiendo in Ægyptum. Et Paulus similiter multoties invenitur idem fecisse: quid est ergo quod hic culpat eos, qui deserunt collectionem? Solutio. Eos culpat Apostolus in hoc loco, qui quasi causa sanctitatis suæ inter alios infirmos, vel imperfectos habitare non possunt: et ideo deserendo collectionem scindunt unitatem, et sic peccant ad mortem. Cum aliqui specialiter quærentur a persecutoribus, tunc licet rabiem persecutorum declinare, si fieri potest sine detrimento collectionis.

QUÆSTIO LXXXVII. *Voluntarie peccantibus, etc.* Quæritur qui sunt voluntarie peccantes, quibus non relinquitur hostia pro peccato. Solutio. Dicit glossa quod voluntarie peccantes permanentes in peccato ex voluntate peccandi vocat: quibus non prodest Christus, qui est hostia pro peccato, qui pœnitentibus tantum prodest.

QUÆSTIO LXXXVIII. Sed iterum quæritur cur dicat Apostolus *post acceptam notitiam veritatis*, cum nec ante notitiam veritatis manentibus in voluntate peccandi prosit Christus? Forsitan dicet quis quod talibus potest prodesse per gratiam baptismatis ut nec aliqua etiam pœna satisfactionis injungatur, quomodo post gratiam regenerationis non potest renovari etiam per pœnitentiam. Hoc dicentes non excludimus pœnitentiam, ut quidam volunt ex his verbis Apostoli: *voluntarie peccantibus, etc.*, occasionem sumentes. Quibusdam autem videtur quod voluntarie peccantes vocet, qui scienter veritatem invidia, vel odio, vel aliqua causa hujusmodi impugnant in Spiritum sanctum peccant, et ideo irremissibiliter peccant; quia hoc peccatum nec in præsentem, nec in futuro habet remissionem, ut Dominus ait. Quod etiam videtur insinuari superius, ubi dicit Apostolus: *Impossibile est eos qui semel illu-*

minati (Matth. xii), etc. Et subsequenter in hoc loco supponit : Quid Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit. Quibus verbis manifeste videtur peccatum in Spiritum sanctum significari.

QUÆSTIO LXXXIX. Quæritur cur baptismus non possit iterari : cujus iteratio negata est hic ab Apostolo secundum quosdam ? Solutio. Quia baptismus simul et culpam pœnam aufert. Unde si iteraretur, non solum vilesceret, sed etiam ad peccatum invitaret. Sed dicit aliquis : eadem ratione nec pœnitentia deberet iterari, ne vilescat vel ad peccandum provocet. Solutio. Aliud iudicium est de pœnitentia, quæ per pœnæ irrogationem a peccato cohibet, quam de baptismo, quo et culpa et pœna ex toto remittitur.

QUÆSTIO XC. *Et ignis æmulatio quædam.* Quæritur quam pœnam hic ignem significet ? Solutio. Æternæ pœnæ vehementiam hic ignis significat, quia nullius elementi est tanta efficacia quanta est ignis.

QUÆSTIO XCI. *Quæ consumptura est adversarios,* etc. Nunquid ignis in nihilum rediget Christi inimicos ? Solutio. Ideo dicitur ignis æmulatio adversarios consumptura, quia nulla pars corporis vel animæ a pœna vacabit, quin ab igne crucietur.

QUÆSTIO XCII. *Mihi vindictam, et ergo retribuam, dicit Dominus.* Quæritur, an semper vindicta sit reservanda Domino ; nunquid non licet homini vindictam sumere ? Nonne licite latrones suspenduntur ? Solutio. Non licet homini sibi sumere vindictam, nec eam affectare debet ; sed si sumere necesse est, Deus tantum sit causa, et zelus justitiæ, qui autem aliter sumit, mortaliter peccat. Juxta illud : *Qui gladium acceperit, gladio peribit* (Matth. xxxvi).

QUÆSTIO XCIII. *Fides est sperandarum substantiarum argumentum non apparentium* (Hebr. xi). De hac fidei definitione quæritur an omni fidei conveniat, et an soli etiam aptari possit. Videtur autem quod hæc definitio tantum conveniat fidei, quæ est de rebus futuris ; sed cum fides sit de præsentibus, et præteritis, ut de nativitate, et passione, quomodo fides passionis est substantia rerum sperandarum ? Item, nonne spes et charitas est substantia, id est res et causa, quæ res sperandas facit subsistere in nobis ? quomodo ergo sola fides est substantia sperandarum rerum ? Solutio. Secundum quod glossa hanc definitionem exponit, videtur quod non soli fidei conveniat. Cæterum licet pars hujus definitionis aliis virtutibus assignari videatur, non tota tamen ; sola enim fides est argumentum non apparentium, per quam solam certi sumus de æternis, quod sunt ; per spem vero, quod ea nos sumus habituri, confidimus. Et ideo proprie fides substantia futurorum dicitur, quia per eam scimus quod sunt. Fides etiam de præsentibus, vel præteritis potest dici substantia rerum speran-

darum, id est causa quæ facit quandoque ea quæ speramus subsistere in nobis, quia per fidem passionis venit ad futura bona, et est argumentum non apparentium, adeo quod illi qui viderunt eum pati aliquid crediderunt, scilicet Christum esse Deum, qui in cruce pendeat.

QUÆSTIO XCIV. *Ut ex invisibilibus,* etc. Quæritur quid vocet invisibilia ? Solutio. Vel informem et invisibilem materiam quatuor elementorum, quæ Græce chaos dicitur ; vel invisibilem mundum ; qui archetypus dicitur, qui in mente Dei erat juxta cujus exemplar factus est iste sensibilis et visibilis mundus.

QUÆSTIO XCV. *Abel fide adhuc defunctus loquitur,* etc. Quæritur quomodo ille, qui non vivit, loquatur ? Solutio. Loquitur, id est materia est loquendi ; loquitur quia suo exemplo nos monet ut simus justus.

QUÆSTIO XCVI. *Sine fide impossibile est placere Deo,* etc. Quæritur de qua fide hoc dicat ; nunquid de fide incarnationis ? Solutio. Dicitur quod sine ea nullus ab initio placuit Deo.

QUÆSTIO XCVII. *Credere oportet accedentem ad Deum quoniam est,* etc. Quæritur de qua fide agat, an de perfecta, an de imperfecta ? Si de imperfecta, quomodo per eam potuit aliquis Deo placere ; si de perfecta, quomodo hoc potest sufficere ad salutem, credere quia est, et quia inquirentibus se remunerator sit ? his enim non sunt omnes articuli contenti, qui sunt necessarii ad salutem. Solutio. Videtur hic fidei habendæ ponere ordinem, id est ostendere quid in primis credere oportet, non fidei sufficientiam assignare.

QUÆSTIO XCVIII. Utrum vero aliquod tempus fuerit in quod hoc credere tantum, scilicet, quia Deus est, et quia remunerator, etc., suffecerit, quæri potest. Quod non videtur.

QUÆSTIO XCIX. *Fide et de futuris benedixit Isaac Jacob,* etc. Nunquid cum benediceret ei, intellexit quod ibi significabatur per hoc, quod minorem benedicebat ? Si intelligebat, tunc sciebat quod diceret Jacob, quod nequaquam historia patitur. Nam et manus contrectavit, ut probaret an esset Esau, et postea veniente Esau ait : *Quis fuit, qui venit fraudulenter : cui benedixi, et erit benedictus ?* Solutio. Licet tunc non intellexit, tamen post intellexit, et ejus rei fidem habuit, quod major populus serviet minori.

QUÆSTIO C. Item quæritur unde Isaac in benedicens deceptus est ? Solutio. Non fuit deceptus, quin sciret quem affectum haberet benedictio in illo quem benedicebat : nondum tamen quod Jacob esse sciebat, quem benedicebat. Solet autem proprie deceptio in iis, quæ non debent fieri, accipi. Nunquid decipi dicendus est, qui pro auri chalco emit aurum, vel pro stanno argentum ? Si vero large deceptio accipiatur, pro omnibus quæ aliter fiant quam existimantur, et hic deceptio quædam fuit.

QUÆSTIO CI. *Et adoravit fastigium virga ejus ;*

vel ut alia habet littera, *super fastigium*, etc. Quæritur quid est quod Jacob adoravit super cacumen virgæ Joseph. Solutio. Forte tulerat a filio virgam, quando idem filius jurabat, et dum eam tenet post verba jurantis, nondum illa reddita, mox adoravit Deum : sic solvit Augustinus. Vel potest dici quod adoravit fastigium virgæ ejus, id est regnum Christi futurum in gentibus ; quod per illud significabatur, ut nomine signi signatum intelligatur.

QUÆSTIO CII. *Jephthe*, etc. De hoc quæritur an rationale fecerit votum, et an peccaverit implendo illud, unicam filiam offerendo Domino. Nunquid si canis occurrisset ei, obtulisset eum Deo ? Solutio. Videtur, quod stulte egerit votendo, stultius votum implendo : tamen si occulto monitu sancti Spiritus hoc fecerit, excusatur, sicut Samson, qui secum Philisthæos compressit, quia non licet sibi manum inferre. Unde et Jonas dixit : *Mittite me in mare*.

QUÆSTIO CIII. Quæritur cur in recordatione mortis illius puellæ, Hebræe virgines singulis annis planctus faciunt ? Solutio. Exempli causa, ne quis iterum sic stulte aliquid voveat, vel faciat, unde talis dolor sequi possit.

QUÆSTIO CIV. Quæritur an Abraham voluntate peccaverit, volendo immolare filium suum, cum, secundum quosdam, imo revera Jephthe peccaverit occidendo filiam, nisi hoc factum sit instinctu divino. Solutio. Abraham non solum non culpatur crudelitatis crimine, verum etiam laudatur pietatis nomine, quod filium suum non scelerate, sed obedienter, voluit occidere.

QUÆSTIO CV. *Deinde patres quidem carnis nostræ eruditores habuimus, et verebamur eos: nonne multo magis obtemperabimus Patri spirituum, et vivemus?* (Hebr. xi). Si quæretur, utrum animæ humanæ sint ex traduce, nota diligenter hanc auctoritatem, per quam manifeste probatur, quod animæ non sunt ex traduce sicut caro ; si enim hoc esset, nequaquam distingueret Apostolus inter patres carnis nostræ, et Patrem spirituum.

QUÆSTIO CVI. *Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei*, etc. Quæritur quid sit deesse gratiæ Dei ? Solutio. Gratiæ oblatæ oculos mentis claudere, et gratiam respuere, quemadmodum radio solis oculis meis apertis eos claudere, vel apertos tenere, pro libitu possum, quod est ex libero arbitrio ; et sic gratia non excludit liberum arbitrium, nec ipsum arbitrium excludit gratiam.

QUÆSTIO CVII. *Vendit primogenita sua*, etc. Quæritur quid Apostolus vocet primogenita Esau. Solutio. Primogenita hic vocat honorem et dignitatem sacerdotii ; quia ante sacerdotium Aaron omnes primogeniti sacerdotes erant, sicut fuit Sem. Et hæc erat magna dignitas, quia de substantia et hæreditate paterna majorem portionem sumebat, vestiumque ornatu locupletiorum splendebat, eique benedictio dabatur.

QUÆSTIO CVIII. Quæritur an peccatum Esau erat

irremissibile, cum Apostolus dicat quod *non invenit pœnitentiæ locum*. Nonne pœnituit ? imo lacrymatus est : quomodo ergo verum est, non invenit locum pœnitentiæ ? Solutio. Non invenit locum pœnitentiæ, id est veniæ, et locum benedictionis per pœnitentiam non quod non pœnituerit, sed quia non pœnituit uti debuit. Lacrymæ enim illæ potius fuerunt ex indignatione contra fratrem, et ex dolore amissi honoris, quam ex humilitate veraque pœnitentia.

QUÆSTIO CIX. *Testamenti novi mediatorem Jesum, et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel*. Quæritur in quo sanguis Christi melius loquatur quam sanguis Abel ? Solutio. Dicit glossa ideo melius, quia iste, id est Christi, petebat veniam, illę vindictam ; iste salutem, ille damnationem. Sed dicit quis : Nonne effusores sanguinis Christi perierunt, sicut effusores sanguinis Abel ? Ergo sanguis Christi vindictam loquitur, sicut sanguis Abel. Quomodo ergo melius loquitur iste quam ille ? Solutio. Sanguis Christi non solum vindicta clamat contemnentibus, sed etiam veniam omnibus, etiam persecutoribus, si ipsi volunt pœnitere. Sanguis vero Abel tantum vindictam, et nulli veniam loquitur. Vel melius loquitur sanguis Christi quam Abel, id est melius nos loqui facit, scilicet, quod Jesus sit Filius Dei, a quo redempti sumus ; quam sanguis Abel, qui facit nos loqui Abel fuisse virum justum in figura Christi immolatum. Nota quod Abel, qui primus injuste occisus fuit, positus est pro omnibus aliis quorum sanguis nullam veniam facere potuit.

QUÆSTIO CX. *Per hanc quidem placuerunt Deo*, etc. Quæritur an Abraham et Lot cognoverunt eos esse angelos. Si cognoverunt, quomodo officia humanitatis præbuerunt, quæ non sunt necessaria, nisi infirmitati hominum ? Item si non cognoverunt angelos esse, sed homines tantum arbitrati sunt, quomodo plusquam homines venerati sunt eos ? Solutio. Primo homines arbitrati sunt divinitus missos, et in quibus Deus esset ; postea vero compererunt angelos esse.

QUÆSTIO CXI. Quæritur quomodo angeli in sumptis corporibus comedere potuerunt ? Non enim sic illa corpora unita habebant, ut animæ hominum habent sibi unita corpora ; nec lædi poterant in illis corporibus angeli. Solutio. Non comederunt angeli more animalium, sed sicut ignis quod ipsi apponitur consumit, et in nihilum redigit ; sic et cibus ille consumptus est operatione illorum, vel ipsi inde fecerunt quod volebant.

QUÆSTIO CXII. Item quæritur quomodo cum angeli essent tres visi, unum eorum in fide Trinitatis et unitatis adorare potuerit Abraham ? Solutio. Divina revelatione cognovit in illis mysterium Trinitatis et unitatis.

QUÆSTIO CXIII. *Quorum enim animalium, etc.* Dicit expositor, quod per duplicem allegoriam probat,

quod corpus Christi non est comedendum ab iis qui tabernaculo deserviunt; sed cum unus sit sensus utriusque historiæ, quomodo per duplicem allegoriam probat hoc? Quid est allegoria? Nonne spiritalis sensus? Ergo ubi est unus sensus, quomodo duplex est allegoria? Solutio. Dicit per duplicem

A allegoriam, id est per allegoriam de duplici historia surgentem. Vel allegoria dicitur significans et significatum; hic autem pro significante ponitur: Quid est autem per duplicem allegoriam nisi per duplicem historiam, scilicet unam Veteris, alteram Novi Testamenti?

APPENDIX.

EXEGETICA DUBIA IN SCRIPTURAM SACRAM.

POSTERIORUM EXCERPTIONUM

LIBRI TREDECIM

CONTINENTES

UTRIUSQUE TESTAMENTI ALLEGORIAS.

(Priorum excerptionum libri exstant infra in appendice ad opera dogmatica.)

PROLOGUS.

Quicumque sapientiæ, sive scientiæ studet divinæ, fructum lectionis proprio magis experimento, quam alieno cognoscere valet documento. In ipso namque legentis animus bonum possidet honestæ occupationis, solertiam meditationis, instantiam orationis, et claritatem supernæ invenit contemplationis. Ibi informatur ad exemplum sanctæ imitationis; instruitur ad exercitium virtutis; stabilitur ad exhibitionem boni operis. In ipsa, reprobato fuco falsitatis, depulsa malitia iniquitatis, perducitur ad veram, vel ad perfectam veritatis cognitionem, et ad bonitatis dilectionem. In ipsa animatur, ne frangatur in adversis; solidatur, ne dissolvatur in prosperis, et sumit recordationem de præterito, cautelamque de futuro. Quisquis autem sacræ Scripturæ cibo pasci renuit, vitam animæ suæ perdere jam incipit, ut de eo dici possit: Omnem escam abominata est anima ejus et appropinquavit usque ad portas mortis (*Psal. cvi*). Accipe itaque, frater charissime, hanc secundam excerptionum nostrarum, quas postulasti, partem, quasi quoddam ferculum animæ tuæ paratum: ut in ipso spiritualiter incrasseris, impingeris, dilateris. Capitula autem hujus partis sicut, et superioris, ad evidentiam totius operis sequentis, ante principium libri tibi per ordinem disposui.

PROLOGUS ALTER.

In præcedentibus præmissa descriptione originis et discretionis artium, et quarumdam aliorum, ortum, cursum et occasum omnium regnorum ab initio usque ad nos disposuimus. In sequentibus, profundas allegoriarum obscuritates, secundum subjacentis historiæ cursum, prius de Veteri Testamento, deinde de Novo, in quantum præsentī brevitati sufficere videtur, elucidabimus. Invenies in hac parte libelli multa juxta imbecillitatem mei sensus, necessaria tuæ inchoationi: et in cognitione veritatis, et in amore virtutis omnibus modis utilia, si tamen quæ scripta sunt legere et memoriæ commendare non neglexeris.

Liber primus Allegoriarum Veteris Testamenti tractat de mysteriis rerum gestarum ab initio mundi usque ad Abraham, continens octodecim capitula.